F. F. C. FISCHER.

DE DEO AESCHYLEO.

DE DEO AESCHYLEO.

ACADEMIA LIBERA REFORMATA.

DE DEO AESCHYLEO.

DISPUTATIO LITTERARIA

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS

A. KUYPER

THEOL. DOCT., IN FAC. THEOL. PROF. ORD.

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITTERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO AC SOLLEMNI EXAMINI SUBMITTET IN AEDIBUS ECCLESIAE SCOTICAE

FRIEDERICH FRANZ CARL FISCHER

AMSTELODAMENSIS

DIE XIX M. OCTOBRIS MDCCCLXXXXII, HORA I.

AMSTELODAMI

APUD

J. A. WORMSER.

1892.

JANO WOLTJER

VIRO CLARISSIMO, PRAECEPTORI OPTIMO,

HOC OPUS QUALECUMQUE

PIA CUM VENERATIONE

OFFERT DISCIPULUS.

CONTINENTUR.

PROOEMIUM	Pag.	1.
LIBER I. De numinis divini natura in se spectata	»	15—100.
Cap. I. Utrum Aeschylus unum deum an plures deos coluisse rectius dicatur	»	15.
Cap. II. Quid sit Μοῖρα apud Aeschylum quaeritur	»	34.
Cap. III. De Erinyum in Aeschyli fabulis significatione	»	62.
Cap. IV. Quae sit summi dei Aeschylei natura quaeritur	»	83.
LIBER II. De numinis divini virtutibus, quae in mundi gubernatione elucent	»	104—152.
Cap. I. De dei Aeschylei potentia.	»	106.
Cap. II. De dei scientia et sapientia.	»	112.
Cap. III. De dei sanctitate, iustitia, veritate	»	117.
Cap. IV. De dei bonitate	»	148.
EPILOGUS	»	153.

Erunt fortasse, qui in hoc libello nonnulla reprehendant. Sed cum in conscribendo hoc opusculo mihi, qui sero nullo nisi Deo duce ad haec studia perveni, multa obfuerint et, etiamsi impedimenta fuerint nulla, ne tum quidem ab iuvene imperito opus omnibus numeris perfectum atque absolutum flagitari possit, spero fore, ut ii, qui de hoc opusculo iudicaturi sint, in iudicando benevolentia in me indulgentiaque utantur.

Argumentum, quod tractavi, praestat gravitate rei, difficultatibus abundat; nec tamen hanc rem suscipere dubitavi, quia, ut verbis Orestae utar (*Eum.* 274—275) *ἐν τῷδε πράγματι φωνεῖν ἐτάχθην πρὸς σοφοῦ διδασκάλου.*

Nunc autem, ubi hoc opus qualecumque ad finem perduxi, mihi facere liceat, quod iam diu gestiebam, ut palam profitear, quid tibi, clarissime Woltjer, debeam, utque tibi debitam referam gratiam. Si enim quid sapio in antiquis litteris, si ullam verae scientiae notionem obtinui, haec tibi imprimis debeo. Quantum autem fructum cepi ex tua consuetudine, qua me praecipue hoc triennium fere cotidiana usum esse satis aestimare vix possum! Quodsi quid in hoc opusculo utilitatis inesse videatur, neque me alterum Phaëtontem esse appareat, has primitias summa cum veneratione tibi offero. Me autem felicem praedico, quod Gymnasium nostrum Reformatum, quod Deo tuaeque maxime curae debemus, causa futura sit, cur etiam in posterum tempus tuo exemplo non caream, nec summi philologi imaginem ex animo amittam.

Tibi etiam, clarissime Kuyper, hoc anno Universitatis Rector, gratiam habeo atque honorem, qui mihi viam ostenderis, quae ineunda esset, ut in litteris Belgicis aliquid sapere earumque pulchritudinem perspicere discerem. Temporis, quod te duce bonis artibus impendi, grato semper animo meminero.

Etiam quod vos, viri clarissimi Fabi et De Hartog, mihi attulistis boni vestra doctrina, vestris praeceptis atque exemplis, quodque in me benevolentiae contulistis, semper mihi cum grata recordatione in mente versabitur.

Vos autem omnes, viri clarissimi, nostrae Universitatis professores, quorum domus semper mihi patebant, ut, quantum in vestra potestate positum esset, excellentissimorum virorum exemplis abundarem, — semper me pia et grata vestri memoria tenebit.

Vos denique, quibuscum communium studiorum et amicitiae vinculis coniunctus eram, valete!

DE DEO AESCHYLEO.

PROOEMIUM.

Multi iam fuerunt viri docti, qui de rerum divinarum in Aeschyli tragoediis condicione scripserunt. Nec mirum, nam inter omnes antiquitatis Graecae studiosos constat has res a nullis fere Graecorum tam praeclare tractatas esse quam ab Aeschylo fieri videmus. Zeller e. gr. de eo dixit 1): „Bei Aeschylus treffen wir nun einen Ernst der Gesinnung, *eine Tiefe der religiösen Weltansicht*, eine überwältigende Kraft und Grossartigkeit, wie sie des Mannes von altväterlicher Gediegenheit, des Mitkämpfers in den grossen Perserschlachten würdig ist." Nec minus Lübkero assentior, cum in Aeschyli Prometheo summas res difficillimasque quaestiones proponi dicit 2). Et sane, si qui apud Graecos fuerunt, quos Muff merito dixerit 3) ad Christianae fidei propylaea pervenisse 4), inter hos princeps Aeschylus erit numerandus. Hoc autem minime admirabile videbitur, si in mentem revocaverimus tempus, quo Aeschylus vixit. Nam si illa tempora excipimus, quae Paulus apostolus dicit *πλήρωμα τοῦ χρόνου* (ad Gal. IV, 4), qui-

1) Zeller, Die Philosophie der Griechen, Leipz. 1875, II, p. 5 (vide etiam quae sequuntur).

2) Fr. Lübker, Vorträge über Bildung und Christenthum, Hamburg 1863, p. 215: „die höchsten Probleme des menschlichen Denkens, die Räthsel der Vernunft, die höheren metaphysischen Wahrheiten im Gewande der Dichtkunst."

3) Muff, Zwei Titanen, Prometheus und Faust, Halle 1883, p. 3.

4) Is qui haec verba miratur, legat, quae Augustinus, licet falsissima sint,

bus homines diem salutis iam appropinquantem quasi praesagiebant 1), cum Athenienses, aram statuerant „Ignoto Deo," perinde ac si de diis a patribus acceptis desperarent; cum Vergilius illam pulcherrimam eclogam, quartam dico, scripsit 2) — his igitur temporibus exceptis nunquam Graeci magis senserunt deum aliquem esse, qui omnia gubernaret, nunquam pietas erga deos magis floruit, quam iis temporibus, cum Graecis erat cum Persis dimicandum, iamque in eo erat, ut patria iis eriperetur, ipsi autem cum mulieribus et liberis servitute opprimerentur, nisi mortem huic malo praeferrent. Neque unde hoc factum sit, in dubio est. Temporibus enim iis, quibus multa terribilia fiunt, quae homines angunt, fere omnes ad Deum perfugere et ab eo salutem petere solent, ut e. gr. nautae magna tempestate coorta in extremo vitae periculo, licet nunquam antea Deum invocaverint, nisi in exsecrationibus, in Deo unicam spem ponunt humillimeque ab eo salutem precantur 3). Huius autem Graecorum id temporis pietatis

---

scripsit Retract. I, 13: „Res ipsa, quae nunc religio Christiana nuncupatur, erat apud antiquos" — et quae sequuntur. Alias eiusmodi sententias vide collectas ab E. v. Lasaulx, Über das Studium der Griechischen und Römischen Alterthümer, München, 1846. Vide etiam E. Spiessii *Logi Spermatici* (Leipz. 1871) prooemium.

1) Cfr. Dr. J. Woltjer, Pontius Pilatus, Amsterdam, 1888, p. 15.

2) Paene divine sonat v. 7: „iam nova progenies caelo dimittitur alto." Vide tamen de hoc loco Vergiliano E. Müller, Parallelen zu den Messianischen Weissagungen und Typen des Alten Testaments aus dem Hellenischen Alterthum, Leipzig Teubner, 1875, p. 89—91, et Dr. J. Woltjer, Pontius Pilatus, p. 15—16.

3) Hoc Aeschylo non ignotum fuisse apparet ex *Pers.* (ed. A. Kirchhoff, Berol., 1880) vv. 493—499:

νυκτὶ δ' ἐν ταύτῃ θεὸς
χειμῶν' ἄωρον ὦρσε, πήγνυσιν δὲ πᾶν
ῥέεθρον ἁγνοῦ Στρυμόνος· θεοὺς δέ τις
τὸ πρὶν νομίζων οὐδαμοῦ τότ' ηὔχετο
λιταῖσι, γαῖαν οὐρανόν τε προσκυνῶν.
ἐπεὶ δὲ πολλὰ θεοκλυτῶν ἐπαύσατο
στρατός, περᾷ κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον

non unum tantum testem exstitisse, quis ignorat, qui non omnis illorum temporum cognitionis est expers? Meminerit modo Pindarum, recordetur Herodotum, Aeschyli fere aequales, summae pietatis viros.

Cum autem nobilissimum quodque ingenium in summis potissimum rebus versetur 1), fieri non potuit, quin multi summi viri, Graecae antiquitatis studiosi, in Aeschyli de diis opinionibus enucleandis operam collocarent. Attamen alii alium sibi in his rebus tractandis finem proposuerunt. Nonnulli enim in unam tantum partem propter gravitatem inquisiverunt, cum alii totam rem disquisitione sua complecti sunt; modo de omnibus diis singillatim dicere placebat, modo de Iove solo; fuerunt denique, qui res divinas apud Aeschylum solius artis poëticae ratione habita sunt prosecuti. Mihi nunc in animo est quaerere, quid Aeschylus de numine divino senserit, quid divinae naturae revera proprium esse ei visum sit, quam necessitudinem hominibus cum deo intercedere putarit, ut uno denique verbo dicam, mihi nunc non tam res futura est cum poëtae arte aut cum singulis diis, quam cum hominis Aeschyli summi Dei divinarumque rerum notitia 2). Quod autem non de diis sed de numine divino Aeschyleo scripturus sum, hoc non modo licet, verum

---

Memento hic etiam pia vota, quibus graviter aegrotantes se interdum adversus Deum, quem antea non curaverint, obstringunt.

1) Cfr. Dr. J. Woltjer, De wetenschap van den logos, Amsterdam, 1891, p. 53: „Alles verstaan, alles in verband en verhouding begrijpen is ons niet gegeven; wij zullen daarom tot het onderzoek van het eene ons meer begeven dan van het andere, naarmate we het hooger schatten in zijne beteekenis. Naar het door ons beleden beginsel zal ik mij dus liever met Ernst von Lasaulx wenden tot een onderzoek over de gebeden der Grieken en Romeinen, hunnen vloek, over den eed bij de Romeinen of het huwelijk bij de Grieken, dan tot een onderzoek naar de werktuigen in de theaters, of het costuum der tooneelspelers; de beteekenis van den logos in de eene rij van onderwerpen is toch waarlijk niet gelijk aan die in de andere rij. De waardeering der dingen is altijd van invloed op de richting, waarin het wetenschappelijk onderzoek zich uitstrekt."

2) Idem igitur mihi proposui, quod Naegelsbach de sua Theologia

etiam rei ipsi est consentaneum, uti omnes consentient, qui apud Aeschylum quendam monotheismum (uti vocant) plus aut minus implicitum et absconditum inveniri existimant, inter quos imprimis sunt numerandi Zeller, L. Schmidt, Lübker, Nägelsbach, Dronke 1).

Hanc autem perdifficilem esse rem quis negabit? De qua quot viri docti disputaverunt, tot paene sunt sententiae, Cogita hic de fato, quod apud Aeschylum supra Iovem esse contendunt Zeller 2), Blümner 3), Toepelmann 4), quodammodo etiam Platner 5); ab Iove autem statui existimant Klausen 6), Bernhardy 7), K. O. Müller 8), Har-

---

Homerica praefatur, mutatis scil. iis, quae sunt mutanda (Homerische Theologie, Nürnberg. 1840), praef. p. VI: „Seine (scriptoris scil., i. e. Naegelsbachi) Forschung hat zum Gegenstande das Wissen des homerischen Menschen von der Gottheit, und die Wirksamkeit, die Bethätigung dieses Wissens in Glauben und Leben, keineswegs aber die Geschichte der Gottheiten in der dichtenden Phantasie des Hellenenvolks. Er wollte den Inhalt, Umfang und Gehalt der homerischen Gotteserkenntnis darstellen, nicht den Ursprung, die Ausbildung, die Verzweigung und Umgestaltung der homerischen Mythologeme. Den Mythologen beschäftigt vorzugsweise die bestimmt umschriebene Person des Gottes und die sich an dessen Verehrung knüpfende religiöse Vorstellung; unsere Betrachtung fasst dass allen Gottheiten gemeinsame *numen divinum* ins Auge; wir fragen nicht sowohl was der homerische Mensch von den Göttern, als was und wieviel er von Gott weiss."

1) E. Zeller, Die Philosophie der Griechen, II, 5; L. Schmidt, Die Ethik der alten Griechen, Berlin, 1882, p. 139; Fr. Lübker, Propylaeen zu einer Theologie des classischen Alterthums, p. 411; Nägelsbach, Nach-homerische Theologie, Nürnberg 1857, p. 137; G. Dronke, Die religiösen und sittlichen Vorstellungen des Aeschylos und Sophocles, Leipzig 1861, passim. Vide p. 18—19 huius libri.

2) Die Philosophie der Griechen, II, 5, 6.

3) Ueber die Idee des Schicksals in den Tragoediën des Aeschylos, Leipzig, 1814.

4) Commentatio de Aeschyli Prometheo, Lips. 1829, p. 62—63.

5) Ueber die Idee der Gerechtigkeit in Aeschylus und Sophocles, Leipzig, 1858, p. 84, 85.

6) Theologumena Aeschyli tragici, Berol., 1829.

7) Griech. Litt.-Gesch. Halle 1880, II, 2, 246.

8) Gesch. der Griech. Litt., Stuttgart, 1882, I, 546—548.

tung 1), Schömann 2), Dronke 3). Item nonnulli viri docti 4) opinantur Aeschylum divinam invidiam statuere, id quod alii 5) negant. Quae variae sententiae magnam partem inde profectae sunt, quod alii putabant omnes de diis sententias in Aeschyli tragoediis occurrentes ipsius poëtae mentem exprimere, alii negabant; tum ex eo, quod nonnulli loci Aeschylei aliquid de diis continentes inter se repugnare videbantur, quo factum est, ut alius alium locum veram poëtae mentem exhibere putaret. Quod ad priorem rem, vix probabile videtur, quod Klausen dicit, ubi de eadem re disserit (Theol. p. 7): „Erunt qui dubitent, num omnino liceat haec e poëta tragico elicere, quippe qui non ipse loquatur, sed loquentes emittat personas. *At quamcumque poëta tragicus procreat personam, sua ipsius quasi perfundit natura:* in quavis inest aliquid veritatis." Qui id scribere potuerit vir tam doctus tantique ingenii, non intellego. Clytaemestrae pravi mores fuerunt, credo, quodammodo mores ipsius Aeschyli, item natura Aegisthi, Electrae, porro Promethei, quidni etiam Erinyum? Deinde Klausen sic pergit: „Itaque si alii in aliis fabulis homines idem profitentur neque similes eorum sunt mores: inde patet, quid ipse senserit poëta." Semperne? Dubito. Patet quidem, quae fuerit opinio per totam Graeciam pervulgata, sed cur ipsius poëtae? Non melius se habet,

---

1) Aeschylus' Erinyen oder Rachegeister, Leipz. 1854, Einl. p. 11—12. Non possum non exscribere, quod Hartung dicit p. 11: „Es ist", inquit, „bei den Tragoedien des Aeschylos und namentlich auch bei dieser Tragoedie viel vom Fatum geredet worden. Ich habe nun bereits alle Tragoedien des Euripides, Sophocles und Aeschylos geprüft, und bin dem Ding, das man Fatum nennt, noch nirgends begegnet, würde es auch schwerlich kennen, wenn ich nicht von Neueren so viel davon hätte lärmen hören..."

2) Des Aeschylos gefesselter Prometheus, Greifswald 1844; Einl. p. 37—38.

3) Pag. 9—11.

4) Inter quos Zeller, Phil. der Gr. II, 6; E. Buchholz, Die Sittliche Weltanschauung des Pindarus und Aeschylus, Leipzig 1869. p. 187.

5) L. Schmidt e. gr. in Die Ethik der alten Griechen, p. 139 et Fr. Lübker in Propylaeen zu einer Theol. des class. Alterthums, p. 411.

quod sequitur: „*Neque ita quidquam de rebus divinis dicitur apud Aeschylum, quasi in dubitationem possit vocari*, sed profitentur id ut omnibus notum et de quo omnes consentiant." In his legendis paene oculis meis diffisus sum. Omnino nihil igitur in Aeschyli tragoediis de deo invenitur, quin dicatur cum summo omnium consensu! Quid vero, quod Aeschylus, ubi de deorum invidia agitur (*Agam.* 727) chorum μονόφρονα esse dicit? Quod Prometheus cum choro pugnat, utrum Iuppiter an Fatum summum sit numen divinum? Legas, quaeso, illud fragmentum *Heliadum*: *Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ* et quae sequuntur, et dicas mihi, num omnes Graeci id crediderint. Equidem contendo Aeschylum neque semper suam proferre sententiam, neque semper sententiam vulgi, ita ut magna oriatur difficultas, quonam modo singulos diiudicemus locos. Idem putat R. Haym, qui in disputatione sua „de rerum divinarum apud Aeschylum conditione" p. 22 dicit: „Ubique cum arte facit religio et *quid ad hanc potius, quid ad illam pertineat, haud facile diiudicaris.*" De eadem difficultate loquitur Günther 1). Hic vir doctus, ubi de solvenda hac difficultate agit, dicit ex natura singulorum locorum pendere, quem ad modum de iis iudicemus saepeque divinatione opus esse. Nonnunquam tamen putat iam patere, quid ipse poëta senserit, si videamus, quae persona loquatur, utrum scil. sit chorus, an primarum aut secundarum partium persona. Interdum poëtae sententiam indicari ait, si rem aliquam ut veram, aut ut dubiam aut ut credibilem simpliciter ponit aut obliquis tantum verbis significat 2). Et recte quidem. Nam certa

---

1) G. Günther, Grundzüge der tragischen Kunst, Leipzig & Berlin, 1885.

2) En ipsa Güntheri verba (p. 17): Es ist dies die heikle Frage, was wir in ihren Dichtungen als die *eigene Ansicht des Autors, was als nur einseitige und subjectieve Aeusserung der Person im Stücke* anzusehen haben. Die Entscheidung dieser Frage hängt begreiflicherweise von der Beschaffenheit jeder einzelnen Stelle ab und kann mitunter nur instinctive,

aliqua diiudicandi norma inveniri minime potest. Haec tantum ad Güntheri monita addo, partim ea, quae ex natura atque indole singularum personarum consequantur, non omnia Aeschyli mentem exprimere, nisi eius personae pietas erga deos propria sit; partim, plurimum referre, quo in statu ac condicione aliqua persona versetur 1), cum eadem persona eadem de re alias aliter sentire videatur, ut Clytaemestra, Eteocles, Erinyes, Prometheus, alii. Si denique variae de iisdem rebus sententiae occurrunt, ita ut vulgari alicui opinioni nova ac rara opinio opponatur, aut sententia altiorem testantem mentem alii magis pravae humilique sententiae, plerumque haud difficile erit diiudicare, utra sit poëtae attribuenda.

Iam restat, ut de fontibus, ex quibus Aeschylus suas de diis atque de summo deo hauserit opiniones, pauca moneamus. Qui fontes duorum sunt generum. Unum est genus, quod originis divinae, alterum, quod humanae originis appellare placet, quamquam posterius genus, si usque ad extremam causam penetramus, non minus quam alterum genus a deo repetendum est, sic ut puteus aquam ex flumine aliquo habere potest, ipsum autem flumen nascitur ex mari, aut si mavis, ex imbribus et nivibus, quae ex mari oriuntur et ex

---

beziehentlich auf divinatorischem Wege gefunden werden. Im Allgemeinen aber lässt sich doch der Grundsatz aufstellen, dass in vielen Fällen schon die Person, welcher ein in dem gedachten Sinne charakteristischer Ausspruch in den Mund gelegt wird, z. B. ob diese der Chor is oder der vom Pathos ergriffene Held oder der Gegenspieler, in anderen wieder die einfache Thatsache, dass der Dichter eine gewisse Thatsache, einen Zweifel, eine Behauptung überhaupt anbringt, respective anregt, dem zu bildenden Urtheil den regten Weg zeigt." — Reliquarum quattuor rerum, quas Günther affert (p. 15—17) duae priores ad difficultatem supra commemoratam redeunt, alterae duae ad rectam singulorum locorum interpretationem pertinent.

1) Cfr. Platner op. l. p. 67: „Wo durch den Zustand und den Charakter derselben (der sprechenden) gewisse Aussprüche psychologisch motivirt sind, wird man dafür allerdings den Dichter nicht verantwortlich machen können. Dies gilt z. B. von der Aeusserung der Clytaemnestra, dass die μοῖρα den Mord des Agamemnon verschuldet habe." — Vide etiam Schmidt, Ethik p. 139.

nubibus in montes descendunt. Quod ad prius genus, quod originis divinae appellavi, constat omnes homines quandam Dei scientiam, ab hominibus eis non traditam, habere. Haec scientia partim innata est, partim proficiscitur ex operibus Dei, partim ex iis rebus, quae nobis accidunt, quas irae aut benevolentiae divinae ascribimus. 1)

Scientiam aliquam Dei innatam esse hominibus, de hac re fere omnes, tam antiqui, quam recentiores scriptores consentiunt. Hodge, ubi de hac re disserit, 2) verba I. Calvini laudat (Institut. I, 3, 3): „Hoc quidem recte iudicantibus semper constabit, insculptum mentibus humanis esse divinitatis sensum, qui deleri non potest." Paulus ad Rom. II, 15 de eadem re scripsit: „*οἵτινες* (*τὰ ἔθνη* scil.) *ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων*". 3) Et apud Ciceronem legimus (De natura deorum I, 17): „Esse deos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus." Eodem denique pertinet id, quod Antigona Creonti respondet (Soph. *Ant.* 4) 450—470), nam quod Paulus (vide supra) *γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις* dicit, Sophocles appellat *ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν νόμιμα* (v. 454—455). Ipsum autem Aeschylum has divinas leges humanae menti insculptas nosse apparet ex iis, quae leguntur *Suppl.* 673—675:

τὸ γὰρ τεκόντων σέβας;
τρίτον τόδ' ἐν θεσμίοις
Δίκας γέγραπται μεγιστοτίμου. 5)

1) Dronke de his divinis fontibus loquitur Cap. 6, 7 (pag. 22—24), negat tamen Aeschylum deum ex eius operibus (ex rerum natura) agnovisse (p. 24, annot. 8), sed immerito, vide p. 8—9.

2) Systematic Theology, Lond. & Edinb. 1883, I, 194—196.

3) Si enim has divinas leges in cordibus nostris scriptas agnoscimus, haec ipsius dei cognitio dici potest.

4) Ed. Th. Bergk, Lips. 1858.

5) Cfr. *Agam.* 1522—23 et p. 98, ubi de pluribus eiusmodi legibus (quae *θέσμια* appellat Aeschylus) sermo est.

Deum porro ex operibus eius iisque, quae nobis accidunt, cognosci, id cum omnibus Graecis tum Aeschylo pro certissima re erat, itaque Aeschyli tragoediae sententiis, ad hanc rem pertinentibus, abundant. Procellae enim deo ascribuntur (*Pers.* 493—495, *Agam.* 627), quibus ii, qui nullos antea deos crediderunt, oppressi, ut iam vidimus (p. 2), animi angore perterriti, deos implorant; si aliquis ex tempestate aut belli periculis eripitur, deus eum servavit (*Agam.* 581, 639—641), herbae denique et fructus incrementum a deo accipere dicuntur (*Agam.* 934—935, *Suppl.* 656—657). Item res prosperae et adversae a diis proficiscuntur, nam „*θεοῦ δὲ δῶρόν ἐστιν εὐτυχεῖν βροτοῖς*" (*Sept.* 608), et *Sept.* 464—465 chorus dicit:

ἐπεύχομαι δὴ τάδε μὲν εὐτυχεῖν, ἰὼ
πρόμαχ' ἐμῶν δόμων, τοῖσι δὲ δυστυχεῖν 1).

Fuerunt autem, qui putarent nullam Dei scientiam esse, nisi quae a pristinis hominibus (quibus Deus ipse obviam venisset) tradita esset posteris. 2) Quibuscum quamquam neque ii consentiunt, quibus Sacri Libri sunt purus fons verae cognitionis Dei, neque ii, qui sola natura humanaque ratione ducuntur, tamen non est, cur dubitemus, quin illa pristina scientia, quamvis corrupta et diminuta, ad posteriora saecula et maxime diversos populos permanaverit. Itaque multi haec etiam, immo imprimis, ad Graecos pertinere existimant. Spiess e. gr. scripsit in *Logo Spermatico*, Einl. p. XXXIV: „Das Reich der Erinnerung, der Zusammenhang mit den Urzeiten und der Urfamilie war dem Hellenenthum, wie überhaupt dem Heidenthum, nicht gänzlich abgeschnitten; die Sagen vom goldnen Zeitalter, von Deucalion und Pyrrha, von Iapetos (Japhet?) 3) vom Kampf der Titanen und Götter, von

1) De his rebus plura vide Lib. I, Cap. I et Lib. II, Cap. I, III.

2) Hodge, I, 201, § 3.

3) De Japeto vide etiam W. Christ. Gesch. der Gr. Litt., München 1890, p. 82, Anm. 3.

Prometheus und Menoitios, von den Giganten (vgl. Gen. 6 : 4) und den melischen Nymphen, von Hercules, dem göttlichen Helden und Dulder und manche andre sind offenbar, wenn auch nur schwache, An- oder Nachklänge der in den heiligen Schriften urkundlich niedergelegten Ueberlieferungen. 1) Legas etiam, quae dicit p. XXVIII de „Niobe, diese mater dolorosa der antiken Kunst" et p. XXIX, ubi angues, qui Laocontem eiusque filios perdunt, comparat cum serpente, qui Evam in paradiso decepit. In eandem sententiam dicit Havetus in opere, quod inscriptum est: Le Christianisme et ses origines, l'Hellénisme (IIe ed. Paris 1873), I, 80: „Disons en passant que c'est dans Pindare que nous rencontrons pour la première fois la fable du déluge. L'histoire de Deucalion et celle de Noé ont évidemment une source commune, qui doit être encore cherchée dans l'Orient." Quaecumque tamen ex his recte comparantur, haec omnia per poëtas et logographos, interdum fortasse per solam populi *ζῶσαν φωνὴν* ad Aeschyli tempora sunt propagata, itaque magis ad eos fontes sunt referenda, quos originis humanae appellavi. Ad quos transitum praebent mysteria Attica, id est Eleusinia, quippe quae magnam partem per *ζῶσαν φωνὴν* solam divulgarentur. Hic autem duplex quaestio movenda est, una, utrum Aeschylus initiatus fuerit necne, altera, si initiatus non fuit, num mysteria ei nota esse potuerint. Hanc alteram solam hoc loco alicuius momenti esse perspicuum est, itaque prior quaestio hanc tantum ob rem ponitur, ut, si appareret eum initiatum fuisse, inde colligeremus eum mysteriorum haud ignarum fuisse.

Constat igitur I° Aeschyli temporibus plurimos Athe-

---

1) Praeterea Spiess hoc loco laudat F. Nork, Vergleichende Mythologie zum näheren Verständniss vieler Bibelstellen et Max Müller, Essays, 2. Band, Beiträge zur vergleichenden Mythologie und Ethnologie. Vide etiam E. Müller, Parallelen et E. von Lasaulx, de mortis dominatu in veteres, Monaci 1835, ubi dicit de primi peccati (*πρωτάρχου ἄτης*) conscientia.

nienses initiatos fuisse 1); II° Non esse initiatum impietati esse ductum 2); III° Aristophanem Aeschylum haec verba dicentem inducere (*Ran.* 886—887) 3):

Δήμητερ, ἡ θρέψασα τὴν ἐμὴν φρένα,
εἶναί με τῶν σῶν ἄξιον μυστηρίων.

Quod ad primam rem, inde non efficitur Aeschylum excipiendum non esse, cum permulti mysteriis non essent initiati 4). Quod ad impietatem, memoria tenendum est Aeschylum de hac re aliter ac populum iudicare potuisse. Magni tamen momenti esse videtur illud, quod tertio attuli loco, nam Klausenio 5) assentior Aristophanem haec „sim tuis dignus mysteriis" non temere Aeschylo attribuisse, et licet nonnulli hoc inde repetant, quod Aeschylus Eleusinius fuit, 6) equidem hanc ipsam ob rem puto Aeschylum illis mysteriis maxime propensum non esse non potuisse. Neque igitur credere dubitarem Aeschylum initiatum fuisse, nisi nonnullae res huic opinioni obstare viderentur. Aeschylus enim mysteriorum pervulgandorum accusatus 7), si Aristoteli fides est habenda, iudicibus respondit se ea arcana esse nescire. Unde colligi posse videtur Aeschylum non fuisse initiatum. 8) Praeterea Clemens Alexandrinus disertis verbis dicit eum non initiatum fuisse. Quodsi quis dubitat, num Aeschylus, si mysteriorum particeps non fuerit, ea in scaena imitari aut enarrare potuerit, eum moneo Lobeckium demon-

---

1) Cfr. Lobeck, Aglaoph. Regimont. 1829, I, p. 20; P. Stengel, Die Griechischen Kultusaltertümer (Handbuch der klassischen Altertumswissenschaften, V, 3), München, 1890, p. 120.

2) Lobeck, Aglaoph. I, p. 20—21.

3) Edit. Th. Kock, Berl. 1881.

4) Vide P. Stengel, Die Griech. Kultusalt., p. 120.

5) Theolog. Aeschyli tragici, in cap. 18 de Cerere.

6) Vide annot. ad Ran. v. 913 (ed. Burm.) et W. Christ, Gesch. der gr. Litt. p. 177.

7) Arist. Ethic. Nicom. III, 2 et Eustratius ad hunc locum; etiam Aelian. Var. hist. V, 19; Clemens Alex. Strom. II. p. 461.

8) Cfr. Lobeck, Aglaoph., I, 82 [k].

strasse mysteria paucas res novas continuisse et v. Limburg Brouwer putare ea mysteria partim, quamvis arcana, tamen omnibus fere nota fuisse, partim talia tantum persuasisse, qualia aliquis, etiam si initiatus non esset, scire posset. 1) Et recte sic putat, nam ea doctrina, quae fortasse in mysteriis Eleusiniis summi erat momenti, initiatos solos post mortem beatos esse, iam legitur in hymno in Cererem vv. 481—483:

ὄλβιος, ὃς τάδε ὄπωπεν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων·
ὃς δ' ἀτελὴς ἱερῶν, ὅς τ' ἄμμορος, οὔποθ' ὁμοίην
αἶσαν ἔχει, φθίμενός περ, ὑπὸ ζόφῳ ἠερόεντι, 2)

et apud Aristophanem (*Ran.* 454—459);

Μόνοις γὰρ ἡμῖν ἥλιος
καὶ φέγγος ἱλαρόν ἐστιν,
ὅσοι μεμυήμεθ', εὐ-
σεβῆ τε διήγομεν
τρόπον περὶ τοὺς ξένους
καὶ τοὺς ἰδιώτας. 3)

Quamquam concedo Lobeckio *caerimonias* in mysteriis Eleusiniis fortasse magis arcanas fuisse quam *doctrinam*. At ne hanc quidem Aeschylus in tragoediis secutus esse videtur, nam, licet Naegelsbacho 4) assentiri non possim

1) P. van Limburg Brouwer, Histoire de la civilisation morale et religieuse des Grecs, Gron. 1840, IV (VI), p. 285:

„Les mystères, je le répète, étoient communiqués indistinctement à tout le monde; par conséquent le mystère n'était plus un mystère", et p. 285—286:

„Il me semble, qu'on ne sauroit fournir de preuve plus convaincante pour démontrer qu'on apprenoit dans les mystères des choses qu'on pouvoit facilement savoir ou inventer, sans qu'on fût initié".

2) Edit. A. Gemoll, Leipz. 1886 (vide huius libri p. 278—279).

3) Vide etiam Soph. fragm. 753 (Edit. Nauck).

4) Nach-hom. Theol. p. 397. In fragm. enim, quod laudat, (fragm. 266 ed. II Nauck 1889):

καὶ τοὺς θανόντας εἰ θέλεις εὐεργετεῖν
εἴτ' οὖν κακουργεῖν, ἀμφιδεξίως ἔχει
τῷ μήτε χαίρειν μήτε λυπεῖσθαι φθιτούς.

de corporibus solis sermo est. Quod nisi ita esset, Aeschylus secum ipse pugnaret, nam de hominibus, qui impie et improbe vixerunt *τὸ λυπεῖσθαι* affirmat. Praeterea mors ab eo *παιὰν* et *ἰατρὸς* appellatur (fragm. 255, ed. Nauck).

Aeschylum de mortuis idem atque Homerum putasse, tamen de felici statu post mortem apud Aeschylum nusquam sermo est. Item demonstravit Lobeck mysteriis monotheismum ascribendum non esse, 1) at Aeschylum, si minus disertis verbis, tamen re ipsa proxime ad monotheismum accedere omnes fere viri docti consentiunt. Quod autem Aeschylus de divina invidia credidit, hanc opinionem se separatim ab reliquis habere dicit. Igitur ne hanc quidem ab mysteriis mutuatus est. Quodsi apud Aeschylum nonnullae res occurrunt, quae ab vulgaribus opinionibus discrepare videntur, haec ipsi Aeschyli felici naturae atque indoli, non mysteriis tribuendae erunt.

Scripta poëtarum, ex quibus Aeschylus suas de numine divino opiniones haurire potuit, sunt carmina Homeri, 2) illius praeceptoris Graeciae, Hesiodi, Stesichori. 3) Neque dubium est, quin aliorum quoque poëtarum, cum epicorum tum lyricorum nec non tragicorum opera legerit, quibus fortasse addi possunt carmina Epimenidis et Orphica. 4) Sed de hac re nihil accuratius dici potest.

Non erit denique qui neget Aeschylum aliquam notitiam habuisse eorum, quae philosophi usque ad Aeschyli tem-

---

1) Lobeck, Agl. I, 65, 85, 118, 133, 138 passim.

2) Aeschylus sua dramata τεμάχη τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων appellavit, vide Ath. 347e.

3) W. Christ, Gr. Litt.-gesch. p. 136: „Aber auch vieles an sich neues enthielten seine Gedichte, sodass dieselben auch in Attica viel verbreitet und namentlich von den *Tragikern* viel benützt wurden."

4) Orpheus Aeschylo sic ut toti antiquitati summi poëtae imago erat (cfr. *Agam.* 1600—1601). Orphica autem, quae Aeschyli aetate divulgata erant, quamquam ipsius Orphei non sunt, tamen eius mentem rationemque poësis interpretari videntur. Quis vero ille Orpheus fuerit, non liquet. Villemain (Essais sur le génie de Pindare, Paris 1859, p. 97) commemorat Huetii opinionem, Orpheum eundem fuisse ac Moysen. Quod quamvis non facile ad demonstrandum erit, tamen negari non potest apud Aeschylum multa occurrere sententiis Veteris Testamenti similia. Quam multa e. gr. ex Aeschyli tragoediis cum locis ex libro Hiobi congruunt! — Cfr. J. Woltjer, De Wetenschap van den logos, p. 51—52; M. Carrière, Die Poesie, Leipzig 1884, p. 557.

pora dixerunt vel scripserunt, inter quae placita philosophorum Aeschyli aequalium primum obtinent locum. Fuit tamen poëta religiosior, quam ut illorum virorum, qui magnam partem deorum contemptores erant (e. gr. Sophistae) 1), libere dictis assentiretur. Fuerunt, qui affirmarent, ut Pindarum, sic Aeschylum quoque Pythagoreum fuisse, quod legitur apud Ciceronem Tusc. disp. II, 10: „Veniat Aeschylus, non poëta solum, sed etiam Pythagoreus, sic enim accepimus." Cicero igitur tantum accepit Aeschylum Pythagoreum fuisse, aliud quo nitatur argumentum non habet. Quo quamquam rem „ad nihil reduci" cum R. Haym (p. 16) contendere dubito, tamen ex Aeschyli tragoediis difficile erit efficere eum Pythagoreum fuisse. Plura de hac re vide apud Haym, p. 16. Haec de fontibus Aeschyli sufficiant.

Proposui autem mihi uno libro de divina natura in se spectata dicere, ita ut primo capite quaeram, utrum Aeschylus unum an plures deos esse existimaverit; secundo, quid Aeschylo sit summum numen, *Ζεύς* an *Μοῖρα* (Fatum); cui capiti tertium addam de Diris, *Μοιρῶν* sororibus, quae ipsae quoque Iove maiores esse dicuntur; quarto denique capite de numinis divini existendi ratione dicetur, i. e. quaeretur, sitne deus persona, utrum sit aliquis an potius aliquid, deque eius immortalitate et aeternitate agetur. Deinde altero libro dicam de divina mundi generisque humani gubernatione deque dei virtutibus, quae in hac gubernatione elucent. Itaque primo capite agam de divina potentia, secundo de dei scientia et sapientia, tertio de eius sanctitate iustitia veritate, quarto de eius bonitate.

---

1) W. Christ (Gesch. der gr. Litt., p. 179) scribere ausus est:

„Der strenge Aristokrat und Anhänger der alten Ordnung war ohnehin verstimmt durch das Umsichgreifen der Demokratie und der Sophistischen Aufklärung, die ihm die grollende Klage über die neuen Götter und Tyrannen im Prometheus und in den Eumeniden entlockte".

LIBER I.

De numinis divini natura in se spectata.

CAPUT I.

UTRUM AESCHYLUS UNUM DEUM AN PLURES DEOS COLUISSE RECTIUS DICATUR.

In Aeschyli fabulis multos deos deasque occurrere vix opus erit animadvertere. Inveniuntur enim dii varii ordinis, ut superi (Olympici), quales *Ζεύς, Ἥρα, Ἀπόλλων, Ἀθηνᾶ, Ἄρης, Ἥφαιστος, Ἀφροδίτη, Ἑρμῆς, Ποσειδῶν*; inferi (*χθόνιοι, νέρτεροι*) ut *Πλούτων, Περσέφασσα, Ἐρινύες*, maritimi ut *Ὠκέανος*; dii rustici, dii viarum et urbium, ut *Βρόμιος* (*Βάκχος*), *Ἄρτεμις, θεοὶ ἐγχώριοι, πολισσοῦχοι* (*πολίοχοι*), ii porro, qui nihil nisi vim aliquam aut qualitatem divinam significant ut *Δίκη, Πειθώ, Φόβος, Ἄτη Αἰσχύνη, Πόθος, Ἁρμονία, Ἀλάστωρ, Κράτος, Βία*, alii; homines denique, qui cum diis comparantur, immo ipso dei nomine appellantur ut *Δαρεῖος, Ξέρξης, Ἄτοσσα*.

Cum tamen non omnes dii, qui apud Aeschylum occurrunt, nunc sint enumerandi, sed investigandum sit, quid ipse poëta de iis crediderit, primum demonstrabimus Aeschylum verbo quidem tenus, plures esse deos putavisse,

deinde eum nihilominus, vi veritatis coactum, multa de diis recepisse aut confessum esse, quae in solum monotheismum quadrent.

I. Aeschylus, verbo quidem tenus, plures deos esse credidit. — Primum monemus (adhibita argumentatione *a priori*, quam vocant) Aeschylum non potuisse non cultorem fuisse multorum deorum, quippe qui haberet theogoniam (ipse Ζεὺς ortus est ab alio). Quod inde fiebat, quod homo Graecus non capax erat notionis, quam theologi appellant αὐτουσίαν. Nam homo, qui a vero deo eiusque notitia abalienatus est, nova revelatione (venia sit verbo) eget, ut eas Dei qualitates, quarum natura humana est expers, cognoscat, quippe qui, divino impulsu coactus, sibi amissam Dei imaginem restituere conetur, hoc tamen ita faciat, ut suam naturam humanam in Dei locum substituat. Ut igitur homo est natus, i. e. principium certum habuit, sic deum sibi finxit natum, cum autem deum ex deo oriri necesse esset, non potuit non longa series deorum dearumque existere. Porro inde patet (argumentatione *a posteriori*) Aeschylum multos esse deos credidisse, quod ubique et in dialogis et in choris de *diis* plurali numero sermo est, quodque Iuppiter ipse interdum τρίτος dicitur, quamvis haec ipsa res Iovis magnificentiam indicet (de hoc cognomine vide infra, p. 30). Accedit, quod Aeschylus, ubi sententias de divina natura profert, neque de certo quodam deo dicit, facile eas ad θεὸν (singulari numero) applicare potuisset, quod haud semper fecit (cfr. *Pers.* 291, *Sept.* 702, *Agam.* 356, 911, passim).

Quae tamen non sic intellegi volo, quasi omnes, qui in Aeschyli fabulis dii appellantur aut tanquam dii tractantur et implorantur, a poëta revera dii habiti essent. Videmus enim, quod ad implorationem, apud Aeschylum res etiam suppliciter invocari, ut *Prom.* 88—95:

ὦ δῖος αἰθὴρ καὶ ταχύπτεροι πνοαί,
ποταμῶν τε πηγαί, ποντίων τε κυμάτων
ἀνήριθμον γέλασμα, παμμῆτόρ τε γῆ,
καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ·
ἴδεσθέ μ' οἷα πρὸς θεῶν πάσχω θεός.
δέρχθηθ' οἵαις αἰκίαισιν
διακναιόμενος τὸν μυριετῆ
χρόνον ἀθλεύσω.

Quod autem ad eos, qui tanquam dii inducuntur et tractantur, memoriā tenendum est Aeschylum interdum sibi ipsum deos excogitasse, ut e. gr. constat de deo Amphidromo, 1) unde patet, quam parvi Aeschylus omnes illos innumerabiles deos duceret, cum unum deum multitudini eorum addere aut adimere non multum referre ei videretur. Quod denique ad *dei* nomen, quo ornatae sunt e. gr. *Μοῖραι, Ἐρινύες, Ἔρις,* inde nihil effici potest, propterea quod etiam *felicem esse* deus dicitur *Choëph.* 53—54:

τὸ δ' εὐτυχεῖν,
τόδ' ἐν βροτοῖς θεός τε καὶ θεοῦ πλέον. 2)

Apparet igitur usum verbi quod est *θεὸς* apud Aeschylum non minus late patere quam in Sacris Libris, ubi e. gr. legitur: *πολλοὶ γὰρ περιπατοῦσιν,... ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία...* 3).

Sed etiam ubi Aeschylus, quod maius est, ita loquitur, quasi revera cogitaret de divinis personis (cfr. *μᾶτερ Νύξ*), ne tum quidem poëta ubique putandus est suam ipsius proferre opinionem, sed potius figuram *προσωποποιίας*, quae dicitur, adhibere, quae ei ut poëtae maxime placuit. 4)

---

1) Testatur hanc rem Hesychius sub voce *ἀμφίδρομος· Αἰσχύλος Σεμέλῃ ἔπλασε δαίμονα καινὸν περὶ τὰ ἀμφιδρόμια, ὡσεὶ ἔλεγες τὸν Γενέθλιον* (Cfr. Nauck, Trag. Graec. fragm. p. 73²). Vide etiam R. Haym in dissert. De rerum divinarum apud Aeschylum conditione, p. 22—23, ubi locos ex Welckeri et Droyseni operibus addit.

2) Qui hoc *θεοῦ* nomen intellegendum sit, apparet ex *Sept.* 608:

θεοῦ δὲ δῶρόν ἐστιν εὐτυχεῖν βροτοῖς.

3) Ad Philipp. III, 18, 19.

4) Exempla *προσωποποιίας* sunt praeter multa alia: *Agam.* 6: *λαμπροὺς*

Dareum, Xerxem, Atossam silentio praeterimus, quia Aeschylus in Persis res Persicas tractat Persaeque suos reges dei nomine appellare non solum sed etiam in deorum numero collocare solebant. Aeschylus igitur in hac tragoedia morem Persarum secutus est.

Accurate tamen quaerere, quinam Aeschylo revera dii fuerint, qui minus, est operam atque oleam perdere, cum negare nolim poëtam plures esse deos credidisse neque mihi, de *numine divino Aeschyleo* scripturo, opus sit, unumquemque deum, seiunctum ab ceteris, describere. Hic excipiendae erunt *Μοῖραι* et *Ἐρινύες*, quia partim de his diis magna est controversia, partim iis cum Iove in doctorum, qui de hac re scripserunt, scriptis de principatu certamen est. 1) Nunc igitur demonstrabo Aeschylum implicite unius dei cultorem fuisse, ut deinde altero et tertio capite *Μοῖραι* et *Ἐρινύες* quid sibi velint ostendam.

II. Aeschylus, quamvis implicite, unius dei cultor fuit. — Ut Homerus iam quendam monotheismum confessus est (quamquam polytheismum quodammodo non excludentem) sic multi post illum magistrum Graeciae idem fecerunt, inter quos Aeschylus primum obtinet locum. Zeller in Aeschyli fabulis invenit potentiam sive numen divinum, quod unum omnia gubernet. Quod numen ei potius *Μοῖρα* est quam *Ζεύς*. 2) L. Schmidt dicit Aeschylum

---

δυνάστας.... ἀστέρας, *Agam.* 122: *κέλευθος*, *Agam.* 252: *μητρὸς εὐφρόνης* *Pers.* 34: *Νεῖλος.... ἔπεμψεν.*

1) Hoc certamen magnam partem inde ortum est, quod legitur *Prom.* 517—520:

> *ΧΟ.* τίς οὖν ἀνάγκης ἐστὶν οἰακοστρόφος;
> *ΠΡ.* Μοῖραι τρίμορφοι μνήμονές τ' Ἐρινύες.
> *ΧΟ.* τούτων ἄρα Ζεύς ἐστιν ἀσθενέστερος.
> *ΠΡ.* οὔκουν ἂν ἐκφύγοι γε τὴν πεπρωμένην.

De quo loco vide infra.

2) Ecce totus locus: Die Grundlage aller seiner Ueberzeugungen bildet die Ehrfurcht vor den göttlichen Mächten, die aber sein grossartiger

in summo deo laudando tam prope ab monotheismo abesse ut huic rei similia pauca ex tota antiquitate afferri possint. 1) Apud Naegelsbachium legimus negari non posse Aeschylum ita Iovem depingere, ut maxime ad monotheismum inclinet. 2) Sed nos iam videamus, quomodo res se habeat.

Statim elucet fere omnia, quae hic alicuius sunt momenti, ad Iovem referri (recepto usu *Ζεύς* hoc libro interdum voce quae est Iuppiter significabitur). Quam ob rem primum videamus, quomodo *Ζεύς* ab Aeschylo cogitetur, ut deinde, si quid reliquum est, hoc afferamus.

Tres quaestiones hic de Iove ponendae sunt: I, quam *Ζεύς* habeat rationem cum reliquis diis; II, quae ratio ei intercedat cum hominibus; III, quae ei ratio sit cum rerum natura.

I. Quae ratio Iovi intercedat cum reliquis diis.

Ζεύς multis locis 3) *πατήρ* appellatur tam a diis quam ab hominibus a quibis interdum *Διογενεῖς θεοί* 4) implo-

---

Blick fast monotheistisch in der Einen allwaltenden Macht zusammenfasst. Was Zeus spricht das geschieht; sein Wille volbringt sich unfehlbar, wenn auch den Menschen verborgen (Suppl. 598, 90 ff. Ag. 1485 ff,); kein Sterblicher vermag etwas wider ihn (Prom. 550), keiner entflieht dem Rathschluss der Gottheit, *oder vielmehr dem Verhängniss* (Pers. 93, Fragm. 299 Dind. (352 Nauck)), *über das Zeus selbst keine Macht hat* (Prom. 511 ff.). Die Philosophie der Griechen II, p. 5—6.

1) Ethik der alten Griechen, p. 139: „Auf dieser Grundlage wurde es ihm denn auch möglich sowohl in den Schutzflehenden (90 ff.) als im Agamemnon (160 ff.) den höchsten Gott in einem an das Monotheïstische streifenden Tone und mit einem Ernste der Gesinnung zu preisen, dem Weniges auf dem Gebiete des klassischen Alterthums vergleichbar ist."

2) „....Mann wird dem zufolge nicht umhin können zuzugestehen, dass die Griechische Weltanschauung vornehmlich bei Aeschylus in der Ausbildung ihrer Vorstellungen von Zeus eine mächtige Neigung zum Monotheïsmus an den Tag legt" (Nach-Hom. Theol. p. 137). Vide etiam Dronke, Die rel. und sittl. Vorstellungen des Aesch. und Sophocles.

3) E. gr. a diis *Eum.* 608, 639, in *Prom.* passim; ab hominibus *Sept.* 111 a choro: *ὦ Ζεῦ πάτερ παντελές; Sept.* 495.

4) *Sept.* 284—285; *Suppl.* 610—611; passim. Naegelsbach (N. H.

rantur. Quid hac patris voce significatur? Non est *Ζεὺς* omnium deorum pater, nam ipse habet patrem, matrem, fratres, sorores, quorum pater, vulgari quidem sensu, esse non potest. Neque pater est *Φόβου*, *Αἰσχύνης*, aliorum. Sed alio quodam modo *Ζεὺς* pater est deorum, ac homo est pater liberorum suorum. Nam e. gr. pater est *Ἀθηνᾶς*, quam tamen genuit sine matre. 1) Porro pater est *Δίκης* 2), quamquam haec modo dea, modo mera *ἰδέα* est. 3) Neque hi liberi Iovis unquam fuerunt parvuli, sed a primo ortu iam fuerunt adultae virgines. Omnes denique dii, qui liberi sunt Iovis, tantum liberi sunt continua quadam vel semper iterata procreatione, ut ita dicam, id quod summi est momenti. Quis e. gr. Apollo est in fabulis? Est *μάντις* 4), *Διὸς πατρὸς προφήτης* 5), qui nihil dicit per oracula, quod Iuppiter non iusserit (*Eum.* 606—608):

οὐπώποτ' εἶπον μαντικοῖσιν ἐν θρόνοις,
οὐκ ἀνδρός, οὐ γυναικός, οὐ πόλεως πέρι,
ὃ μὴ κελεύσαι Ζεὺς Ὀλυμπίων πατήρ.

Et fragm. 86 (edit. Nauck 1889, p. 28):

ταῦτα γὰρ πατὴρ
Ζεὺς ἐγκαθίει Λοξίᾳ θεσπίσματα.

Cum hac re congruit, quod chorus *Choëph.* 766 pro

Theol. p. 137) hoc nomen ad omnes deos pertinere putat: „...wie denn bei Aeschylus *die Götter überhaupt und in ihrer Gesammtheit Διογενεῖς* genannt werden, S. Th. 301 (283), Suppl. 630 (614).

1) *Eum.* 653—656:

Πατὴρ μὲν ἂν γένοιτ' ἄνευ μητρός· πέλας
μάρτυς πάρεστι παῖς Ὀλυμπίου Διός,
οὐδ' ἐν σκότοισι νηδύος τεθραμμένη,
ἀλλ' οἷον ἔρνος οὔτις ἂν τέκοι θεός.

2) *Sept.* 645: *ἡ Διὸς παῖς παρθένος Δίκη; Choëph.* 941: *Διὸς κόρα.*

3) Nägelsbach, N. H. Theol., p. 345: „So ist die allegorische Dike, wenn diese straft, z. B. Aesch. Choëph. 949 (936) ff., lediglich Personification der Strafgerechtigkeit des Zeus, dessen Tochter sie ist und Beisitzerin, vgl. Aesch. Sept. 662 (743)...."

4) *Agam.* 1156, *Choëph.* 546, *Eum.* 18.

5) *Eum.* 19:

Διὸς προφήτης δ' ἐστὶ Λοξίας πατρός.

Oresta orat „Ζηνὶ πατρὶ τῶν 'Ολυμπίων, non Apollini, qui Orestae caedem imperavit (item *Choëph.* 848). Quando igitur Apollo est μάντις? Tum solum, cum pater Ζεὺς hoc vult. 1) Itaque sine patre non est μάντις, non προφήτης. Praeterea inde efficitur τὴν μαντικὴν Apollinis non propriam esse, quod eam artem Gaea prima exercuit (*Eum.* 2), deinde Themis (ibid.), tertia Phoebe (v. 7), denique Apollo (v. 8), quodque (v. 17—18):

τέχνης δέ νιν Ζεὺς ἔνθεον κτίσας φρένα
ἵζει τέταρτον τόνδε μάντιν ἐν θρόνοις.

Sic Ares tum solum exstat, cum pater Ζεὺς homines ad bellum incitat (*Agam.* 61—62), Ζεὺς excitat bella (i. e. si poëtice idem exprimitur, gignit iterum atque iterum Martem), non deus Ἄρης. 2) Eodem modo pater est Δίκης, quae tum solum adest, cum Ζεὺς exercet iustitiam (vide supra). Immo quamcumque vim aut potestatem quisque deorum habet, Ζεὺς hanc iis incussit, aut potius, quia actio incutiendi perpetua est, incutit atque servat. 3) Sic Ἥλιος quidem deus est 4), qui efficit, ut arbores et herbae crescant, 5) sed idem tribuitur Iovi (*Agam.* 934—935):

ὅταν δὲ τεύχῃ Ζεὺς ἀπ' ὄμφακος πικρᾶς οἶνον,

unde satis apperat τὸν ἄνακτα aut θεὸν et ὄρνιν Ζηνὸς 6) et κύκλον Ἡλίου 7) omnia idem significare.

1) Cfr. Dronke, p. 9: „Wol beachte man es, Apollon hat nicht die Sehergabe ein für allemal vom Vater erhalten; jeder einzelne Spruch seines Mundes ist eine unmittelbare Offenbarung des Zeus selbst. Der Zug zum Monotheismus hin ist gewis unverkennbar."

2) Sic Aeschylus saepe nomine quod est Ἄρης metonymice utitur, ut belli notionem exprimat, cfr. *Agam.* 361, *Sept.* 53, *Suppl.* 650; vide etiam Wellaueri lexicon.

3) Hunc sensum habent vv. 232/3 ex *Prom.*:

εὐθὺς δαίμοσιν νέμει γέρα
ἄλλοισιν ἄλλα καὶ διεστοιχίζετο ἀρχήν.

4) *Pers.* 232: ἄναξ Ἥλιος; *Pers.* 500—501: ἀκτῖνες θεοῦ; *Choëph.* 981—983: ὡς ἴδῃ πατήρ,.... ὁ πάντ' ἐποπτεύων τάδε Ἥλιος.

5) *Agam.* 611: τοῦ τρέφοντος Ἡλίου χθονὸς φύσιν.

6) *Suppl.* 202:

ΔΑ. καὶ Ζηνὸς ὄρνιν τόνδε νῦν κικλήσκετε.

7) *Prom.* 91; *Pers.* 502.

Animadvertendum denique est deum inferorum nomine Iovis appellari *Suppl.* 220—221:

κἀκεῖ δικάζει τἀμπλακήμαθ' ὡς λόγος,
Ζεὺς ἄλλος ἐν καμοῦσιν ὑστάτας δίκας,

item *Suppl.* 144—146:

τὸν γάιον, τὸν πολυξενώτατον
Ζῆνα τῶν κεκμηκότων
ἱξόμεσθα σὺν κλάδοις, 1)

et *Suppl.* 779 Iovem eodem vocabulo, quo Poseidon, *γαιάοχε* implorari (v. 778—779):

σεβίζου δ' ἱκέτας σέθεν,
γαιάοχε παγκρατὲς Ζεῦ,

quae vox, quamquam hoc loco aliud quid significat ac Poseidonis *ἐπίθετον* 2), tamen potestati ac dignitati huius dei aliquid detrectare videtur. 3) Neque dubium est ei, qui legit *Prom.* 1089: *ξυντετάρακται* (a Iove scil.) *δ'αἰθὴρ πόντῳ,* quin Iuppiter mari etiam imperet. Accedit, si Pausaniae fides habenda est, quod Aeschylus ipsum Poseidonem Iovis nomine significavit. 4) Ut uno denique verbo dicam, omnes dii nihil sunt nisi functiones aut qualitates Iovis 5) exceptis scil. iis, qui meram notionem humanam significant, ut *Φόβος* 6).

1) In eandem sententiam Naegelsbach (N. H. Theol. p. 346): „Hades ist eben nur der Zeus der Unterwelt, Suppl. 230 (217), ja Zeus wird angerufen, dem Frevler die spätvergeltende Strafe aus der Unterwelt heraufzusenden, Ch. 382 (377,) woraus klar hervorgeht, dass seine strafende Wirksamkeit nicht blos auf die Oberwelt beschränkt ist, sondern auch über die Kräfte der Unterwelt verfügt. — Aliter Schmidt (Ethik p. 104): „Der Ausdruck des Aeschylus (Hik. 231), das ein anderer Zeus in der Unterwelt das Recht verkünde, betont in unzweideutiger Weise die Selbständigkeit des Hades." Naegelsbach tamen nobis videtur rem acu tetigisse. Nam *Ζεὺς ἄλλος* et *Ζεὺς γάιος* et *Ζεὺς καταχθόνιος* (Hom. Iliad. IX, 457) omnia idem significant. Cfr. Paus. Descr. Graeciae II, 24, 4—5.

2) Scholiasta ad hunc locum annotat *πάσης γῆς κρατῶν Ζεῦ.*

3) Naegelsbach id vocat „eine Spur der Identität." Vide N. H. Theol. p. 132.

4) Pausaniae Descr. Graeciae II, 24, 5: *Αἰσχύλος δὲ ὁ Εὐφορίωνος καλεῖ Δία καὶ τὸν ἐν θαλάσσῃ.*

5) Sic etiam Naegelsbach N. H. Theol. p. 137, 12.

6) Deum *Φόβον* Aeschylo meram notionem esse patet ex *Suppl.* 461—462:

Iam intellegimus, quid sibi velit illud patris nomen. *Ζεὺς* est pater deorum, sed eodem fere modo, quo Deus in Sacris Libris *πατὴρ τῶν φώτων* 1) et *πατὴρ πάντων* 2) appellatur et Satanas pater mendacii dicitur. 3) *Ζεὺς* est causa sive procreator et conservator omnium rerum et notionum, de quibus poëtae Graeci inde ab Homero ut de diis cecinerunt. Quod quamquam non minus ab Aeschylo quam ab antiquioribus poëtis factum est, tamen nos arbitramur eum, quod eius erat ingenium, non fugisse, quantopere maiestas Iovis augeretur, quamque parum abesset, quin reliqui dii ad meras res atque notiones deprimerentur, si *Ἄρης, Ἀφροδίτη, Ἥλιος, Δίκη, Ἐριννύες, Μοῖραι,* alii modo deos, modo ne personas quidem, sed res tantum et ideas significarent.

Tam penitus in Graecorum animis haerebat Iovem summum deum, deum *κατ' ἐξοχὴν* esse, ut eum etiam regem appellarent, quo eos deos, qui Iovis patriam potestatem effugerent, nihilominus eius potestati subiungerent. Nomina, quae hanc Iovis dignitatem apud Aeschylum significant, sunt haec: *βασιλεύς* 4), *ἄναξ ἀνάκτων* 5). Ab ipso Prometheo, cui „*ἔλασσον Ζηνὸς ἢ μηδὲν μέλει*" (*Prom.* 937), *Ζεὺς* appellatur *ὁ νέος ταγὸς μακάρων* 6), *πρύτανις μακάρων* 7), *ὁ τῶν θεῶν τύραννος* 8), qui ad suum arbitrium regnat secundum novas leges (*Prom.* 151):

νεοχμοῖς δὲ δὴ νόμοις Ζεὺς ἀθέτως κρατύνει,

ὅμως δ' ἀνάγκη Ζηνὸς αἰδεῖσθαι κότον ἱκτῆρος· ὕψιστος γὰρ ἐν βροτοῖς φόβος.

1) Epist. Jacob. I, 17.
2) Ad Ephes. IV, 6.
3) Euang. Joh. VIII, 44.
4) *Agam.* 342; *Suppl.* 286.
5) *Suppl.* 507.
6) *Prom.* 96.
7) *Prom.* 171.
8) In *Prom.* passim.

qui est unicus asper princeps neque rationem reddit factorum suorum (*Prom.* 328):

τραχὺς μόναρχος οὐδ' ὑπεύθυνος κρατεῖ.

qui diis honores distribuit (ibid. v. 232): δαίμοσιν νέμει γέρα.

Civitas deorum igitur comparari potest cum aula regia, ubi unus rex est, qui omnibus imperat, reliqui autem omnes ei serviunt, qui quicquid sunt, hoc sunt per eum. 1) Sic *Ζεὺς* unus verissimus deus est, 2) neque sine eo alii dii cogitari possunt (ne pater quidem eius), cum Iove autem et sub eo apud poëtam nihilo plus valent, quam angeli in Sacris Libris.

II. Quam rationem *Ζεὺς* cum hominibus habeat. 3)

Ut diis, sic hominibus *Ζεὺς* est πατὴρ et βασιλεύς. Quid autem significant haec nomina in ore hominum? 4) Non solum propterea βασιλεὺς dicitur, quod est rex deorum, sed etiam quia rex est omnium hominum. Quo sensu non minus est ἄναξ ἀνάκτων, cum in terra quoque sint ἄνακτες. Cur igitur homines Iovem appellent suum regem? Quia *Ζεὺς* in eos habet ius vitae et necis (vide infra *Prom.* 234—236), quia homines nihil facere possunt Iove invito (*Agam.* 1448—1449):

---

1) Dronke, p. 8—9: „Also der Göttervater selbst ist allein Gott im vollen Sinne des Wortes, besitzt in und aus sich selbst die Fülle aller Macht und Vollkommenheit; *was die anderen Götter sind und haben, sind und haben sie in und durch Zeus.*" (Miror me in Dronkii libro, quem ante absolutum hoc opusculum non in manibus habui, tam multa invenisse, quae iisdem paene verbis in hoc libro scripsi.)

2) Dronke, p. 54—55: „Er (*Ζεὺς*) war ihm (Aeschylo) *der einzige wahrhafte Gott.*"

3) Memoria tenendum est, nunc solum de iis rebus sermonem esse futurum, quae ad monotheïsmum pertineant.

4) I. e. hominum Aeschyleorum. Apud alios Graecos aliud significabant. Heraclitus ille Ephesius e. gr. bellum vocat patrem et regem, bellum autem et Iovem idem esse putat (vide Hist. philosophiae Graecae Ritteri et Prelleri, Gothae 1888, p. 28—29.

ἰὼ ἰή, διαὶ Διὸς παναιτίου πανεργέτα.
τί γὰρ βροτοῖς ἄνευ Διὸς τελεῖται; 1)

Juppiter eos totos regit, i. e. mentes eorum non minus quam corpora, 2) quae res tam penitus in hominum mentibus insculpta erat, ut interdum procreator et conservator totius generis humani esse videretur, semel sensu negativo, quia genus humanum, quod delere in animo habuit, conservavit, 3) deinde cum potestatem habeat novi generis procreandi (*Prom.* 234—236):

βροτῶν δὲ τῶν ταλαιπώρων λόγον
οὐκ ἔσχεν οὐδέν', ἀλλ' αἰστώσας γένος
τὸ πᾶν ἔχρῃζεν ἄλλο φιτῦσαι νέον,

Quin etiam, id quod difficilius dictu est, procreator vocatur (quamquam non disertis verbis), si minus totius generis humani, at certe generis mulierum (quod tamen eodem redit):

ὦ Ζεῦ, γυναικῶν οἷον ὤπασας γένος 4),

---

1) Addi potest *Suppl.* 785—787:

σὸν δ' ἐπίπαν ζυγὸν
ταλάντου. τί δ' ἄνευ σέθεν
θνατοῖσι τέλειόν ἐστιν;

et *Suppl.* 1014—1016:

ὅ τί τοι μόρσιμόν ἐστιν, τὸ γένοιτ' ἄν.
Διὸς οὐ παρβατός ἐστιν
μεγάλα φρὴν ἀπέρατος.

2) Fit enim, quod Ζεὺς vult, at Ζεὺς suam voluntatem raro cum hominibus communicat, unde efficitur homines divino impulsu, quamvis huius rei inscios, cogitare, velle, agere. Quin etiam Aeschylus videtur significare homines a Iove linguam vel sermonem accepisse, nam frag. 6 (apud Nauck, p. 4) legitur:

τί δῆτ' ἐπ' αὐτοῖς ὄνομα θήσονται βροτοί;
σεμνοὺς Παλικοὺς Ζεὺς ἐφίεται καλεῖν.

3) Quamquam Prometheus hunc sibi honorem vindicat (*Prom.* 238—239):

ἐξελυσάμην βροτοὺς
τὸ μὴ διαρραισθέντας εἰς Ἅιδου μολεῖν.

4) *Sept.* 238. Non multum interest, utrum ad litteram vertas: quales mulieres (nobis comites) dedisti, an: quales mulieres fecisti, nam eundem habet sensum, praeterquam quod priore modo magis poëtice dictum est.

quod exclamat Eteocles, quasi dicere vellet: γένος γὰρ ἀνδρῶν πολὺ ἄμεινον ὤπασας.

Deinde Ζεὺς quoque rex hominum est, propterea quod ut diis, sic hominibus honores distribuit, quodque perinde ac si rex terrestris, qui multis imperat populis, singulos singulis populis satrapas praeficit, sic Ζεὺς regna condit iisque reges addit (*Pers.* 753—755):

ἐξ οὗτε τιμὴν Ζεὺς ἄναξ τήνδ' ὤπασεν
ἕν' ἄνδρ' ἁπάσης Ἀσίδος μηλοτρόφου,
ταγεῖν, ἔχοντα σκῆπτρον εὐθυντήριον,

et *Agam.* 42—44:

Μενέλαος ἄναξ ἠδ' Ἀγαμέμνων,
διθρόνου Διόθεν καὶ δισκήπτρου
τιμῆς ὀχυρὸν ζεῦγος Ἀτρειδᾶν,

quodque rursus, cui vult, imperium adimit (*Agam.* 60—62):

οὕτω δ' Ἀτρέως παῖδας ὁ κρείσσων
ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ πέμπει ξένιος
Ζεύς. 1)

At non minus Ζεὺς est hominum πατήρ, et id quidem vario sensu, i. e. non aliter ac pater appellatur deorum. Nam ex hominibus multi ab Iove orti esse dicuntur, ut e. gr. Danaus eiusque filiae, Aegyptus cum filiis, quippe qui omnes posteri essent Epaphi, filii Ius ex Iove concepti; Thebani, quorum proava Venus erat, 2) alii. Sic etiam plurimi Graeci, plerumque non singillatim sed tributim, genus ab Iove aut Iovis liberis ducebant.

At Ζεὺς sic patris nomine ornatur, quasi sit pater totius humani generis, nam ii etiam hoc nomen Iovi attribuunt, qui ab eo orti non sint. 3) Hoc inde fieri potuit, quod Aeschylus revera putaret Iovem omnium hominum patrem, i. e. procreatorem esse, id quod obscure significari dixi

1) Cfr. *Agam.* 504.

2) *Sept.* 127: Κύπρις, ἅτε γένους προμάτωρ.

3) Cfr. *Sept.* 495.

versu supra laudato (ὦ Ζεῦ, γυναικῶν οἷον ὤπασας γένος), 1) aut ex vario usu huius patris vocis proficiscitur.

Graeci enim in Iovis potestate positum esse credebant hominibus et bene et male facere, eum porro bonis propitium esse, malos autem ex stultis prudentes facere eo, quod culpam sequeretur poena et detrimentum stultitiam (*Agam.* 161—168):

> Ζῆνα δέ τις προφρόνως ἐπινίκια κλάζων
> τεύξεται φρενῶν τὸ πᾶν·
> τὸν φρονεῖν βροτοὺς ὁδώ-
> σαντα, τὸν πάθει μάθος
> θέντα κυρίως ἔχειν.
> στάζει δ᾽ ἔν θ᾽ ὕπνῳ πρὸ καρδίας
> μνησιπήμων πόνος· καὶ παρ᾽ ἄ-
> κοντας ἦλθε σωφρονεῖν,

putabant denique suam salutem totam in Iove positam esse. Quam ob rem eum patrem appellabant, quasi hoc nomine eum sibi conciliare vellent, utque Ζεύς, submissis hominum animis commotus, eos, tanquam pater liberos, tractaret. Hoc sensu pater nihil aliud significat nisi illud, quod pater liberis debet esse: educator scil. et rector et adiutor, is denique, qui omnino liberorum saluti prospiciat. Inde omnia illa nomina, quae hanc Iovis patriam curam testantur, ut ἀλεξητήριος 2), ἀφίκτωρ 3), ἱκέσιος 4), κτήσιος 5), σωτήρ 6), alia. Nonne vides iam de reliquis omnibus diis actum esse, quippe quibus nulla restet potestas in homines? Sed iam pervenimus ad tertiam quaestionis partem.

III. Ζεύς et rerum natura.

---

1) Fabula Epaphi eodem pertinere videtur. Epaphus enim est proavus vel conditor nigri hominum generis, quod igitur per eum cum Graeca stirpe coniunctum est.

2) *Sept.* 8.

3) *Suppl.* 1.

4) *Suppl.* 366.

5) *Suppl.* 428.

6) *Suppl.* 26, passim.

Rerum natura quoniam ex duabus constat partibus, ex iis scil., quibus vita inest et iis, quae vita carent (quae nos Belgice vocamus organische et anorganische natuur), nobis quaerendum est, quanta in utramque partem sit Iovis potestas. Cum vero omnia, quae nascuntur et vivunt, aut homines sint aut animalia aut herbae (hic simul arbores sunt audiendae), de hominibus autem iam supra sermo fuerit, videamus primum, qua ex parte Iovis potestas pateat in animalibus et herbis, deinde qua ex parte in rebus vita carentibus.

Animalia igitur et herbae nascuntur naturali propagatione, non minus quam homines, 1) quis autem eorum genera procreaverit, non patet. Sed quis est, qui ea alit et auget? Videntur terra et sol hoc facere et id quidem sua propria vi. *Γῆ* e. gr. est *παμμήτωρ* (*Prom.* 90), vel *μήτηρ, φιλτάτη τροφός* (*Sept.* 16), quae homines, animalia, herbas nutrit (*Sept.* 16—20; *Choëph.* 572), immo ea ex Caelo concepta gignit:

ἐρᾷ μὲν ἁγνὸς οὐρανὸς θρώσκειν χθόνα,
ἔρος δὲ γαῖαν λαμβάνει γάμον τυχεῖν.
ὄμβρος δ' ἀπ' εὐνασθέντος οὐρανοῦ πεσὼν
ἔκυσε γαῖαν· ἡ δὲ τίκτεται βροτοῖς
μήλων τε βοσκὰς καὶ βίον Δημήτριον.

---

1) Quamquam *Ζεὺς* non determinatur legibus naturae, sed, ipse harum legum causa et auctor, de iis decedere potest, quod Aeschylus disertis verbis significat *Suppl.* 300: *Ζεὺς ἐφάπτωρ χειρὶ φιτύει γόνον;* ibid. 17—18: *βοὸς ἐξ ἐπαφῆς κἀξ ἐπιπνοίας Διός.* In his versibus voces *ἐφάπτωρ* et *ἐπαφή* non magni sunt momenti, quia poëta his verbis ad nomen Epaphum alludit, quamquam notandum est illud *ἐφάπτωρ* ad plures alias *ἐπαφὰς* pertinere secundum significationem omnium verborum in *-τωρ* (Lat.-tor) desinentium. Verba autem maximi ponderis sunt *χειρὶ* et *ἐξ ἐπιπνοίας Διός.* Praeclara, Graeco quidem homini, verba, quorum pulchritudo etiam a pravis verbis Pelasgi et Chori *Suppl.* 284 ss. et Promethei *Pr.* 588 intacta manent. Cfr. etiam partum Minervae *Eum.* 653—656. Haec est illa summa libertas, de qua *Κράτος* dicit *Prom.* 50: *ἐλεύθερος γὰρ οὔτις ἐστὶ πλὴν Διός.*

δένδρων ὀπώρα δ' ἐκ νοτίζοντος γάμου
τέλειός ἐστι· τῶν δ' ἐγὼ 1) *παναίτιος* 2).

Sic *Ἥλιος* est *πατὴρ* (*Choëph.* 981—983), qui idem facit, quod *Γῆ μήτηρ*, quippe qui cum terra alat, quod haec gignit (*Agam.* 611):

πλὴν τοῦ τρέφοντος Ἡλίου χθονὸς φύσιν.

At fragm. 70 legimus: *Ζεύς ἐστι .... Γῆ*, quod nihil aliud significare potest nisi omnem vim, quae terrae inest, ab Iove ei incuti; 3) *Ἥλιος* autem *Suppl.* 202 dicitur *ὄρνις Ζηνὸς* et *Agam.* 934—935 *Ζεὺς* idem facit quod supra sol et terra:

ὅταν δὲ τεύχῃ Ζεὺς ἀπ' ὄμφακος πικρᾶς
οἶνον,

unde iam colligi potest terram et solem quidem animalia et herbas alere atque augere, sed vim, qua id faciant, ab Iove iis datam esse. Nihil tamen coniectura opus est, cum idem, quod iam suspicati sumus, Aeschylus disertis verbis affirmet per chorum Danaidum, qui praeter alia etiam hoc optat (*Suppl.* 656—657):

καρποτελῆ δέ τοι
Ζεὺς ἐπικραινέτω φέρματι γᾶν πανώρῳ.

Extrema igitur causa, qua animalia et herbae crescunt ipse *Ζεὺς* est, neque Gaea aut Helios aut alius quis deorum dearumve.

Sed etiam rebus *Ζεὺς* imperat ab eoque vis divina proficiscitur, quae eas res movet atque regit. Quae potentia cum ab Aeschylo pulcherrimis ac paene divinis verbis expressa sit, nolo iis circumscribendis periclitari et eorum vim gravitatemque diminuere. Quod Prometheus, qui dicit se Iovem flocci non facere (*Prom.* 937), haec verba loquitur, id horum verborum vim etiam corroborat. En, habes ipsum locum (*Prom.* 1080—1091):

1) *Ἀφροδίτη* scil.

2) Fragm. *Danaidum*, quod legitur apud Athen. III, p. 600 (v. Nauck, fragm. 44 p. 16).

3) Vide de hoc fragmento p. 63—66.

καὶ μὴν ἔργῳ κοὐκέτι μύθῳ
χθὼν σεσάλευται·
βρυχία δ' ἠχὼ παραμυκᾶται
βροντῆς, ἕλικες δ' ἐκλάμπουσι
στεροπῆς ζάπυροι,
στρόμβοι δὲ κόνιν εἱλίσσουσιν·
σκιρτᾷ δ' ἀνέμων πνεύματα πάντων
εἰς ἄλληλα
στάσιν ἀντίπνουν ἀποδεικνύμενα·
ξυντετάρακται δ' αἰθὴρ πόντῳ.
τοιάδ' ἐπ' ἐμοὶ ῥιπὴ Διόθεν
τεύχουσα φόβον στείχει φανερῶς,

i. e.: Revera iam neque solis verbis terra concussa est; e mari echo remugit tonitrus, radii fulminis ignei emicant, turbines pulverem excitant ruuntque omnium flatus ventorum, inter se ex diversis partibus saevientem seditionem efficientes; permixtus est aether mari. Talis contra me ab Iove facta ruina incutiens metum grassatur manifeste. — Quidnam amplius, quaeso, desideres, quo infinita potestas Iovis, qui cum nullo nisi secum ipso comparari possit, 1) demonstretur? Nomina, quae hanc Iovis maiestatem testantur, sunt haec: ὕψιστος (*Eum.* 27), ὁ τρίτος 2) πάντων μέγιστος (*Choëph.* 236—237), ὁ πάντα κραίνων τρίτος σωτήρ (*Eum.* 749—750), παντελής

1) *Agam.* 152—154:

οὐκ ἔχω προσεικάσαι (Iovi scil.)
πάντ' ἐπισταθμώμενος
πλὴν Διός.

2) De hoc cognomine, quod, ut Wecklein monet (Aeschylos' Orestie ad v. 243 Choëph.), ab Aeschylo Iovi Σωτῆρι datur, Naegelsbach dicit (N.-H. Theol., p. 137): „Das Ζεὺς τρίτος in Formeln wie (sequuntur loci)..., in welchen Formeln Zeus offenbar als das abschliessend vollendende, alle sonstige Thätigkeit erst krönende, in letzter Instanz wirksame Wesen erscheint.“ Et recte quidem. Nihil igitur ad hoc cognomen pertinet, quod Iuppiter

(*Sept.* 111), παγκρατής (*Sept.* 237, *Eum.* 900), παναίτιος (*Agam.* 1448), πανεργέτας (ibid.), τελέων τελειότατον κράτος (*Suppl.* 508—509).

Ut denique omnia uno verbo comprehendam: ubicumque in diis, in hominibus, in rerum natura aliqua vis aut vita aut potentia conspicitur, sive in caelo, sive in terris, subve terram, sive in mari, Ζεύς solus est causa efficiens, ab eo omnis vis et vita proficiscitur. Sic etiam interpretandum est illud fragmentum:

Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός,
Ζεύς τοι τὰ πάντα χὤτι τῶνδ' ὑπέρτερον 1),

quod solum per se spectatum nos facile in eum errorem inducere posset, ut putaremus Aeschylum pantheismum quendam confiteri, qui nihil tamen aliud est nisi id, quod a theologis *infinitas, ubiquitas, immensa Dei essentia* est appellata. 2)

Restat, ut pauca notemus, quae quamquam ad polytheis-

---

tertius rex deorum factus est (*Prom.* 957—958: τρίτον δὲ τὸν νῦν κοιρανοῦντ' ἐπόψομαι αἴσχιστα καὶ τάχιστα, scil. ἐκπεσόντα τυραννίδος.) Nec tamen Aeschylus hoc Tertii cognomen intellexit (unde colligi potest poëtam id cognomen non excogitasse, sed ab aliis recepisse), nam modo hanc modo illam componit ternionem, e. gr. *Choëph.* 236—237: Κράτος τε καὶ Δίκη σὺν τῷ τρίτῳ πάντων μεγίστῳ Ζηνί, *Eum.* 748—750: Παλλάδος καὶ Λοξίου ἕκατι καὶ τοῦ πάντα κραίνοντος τρίτου σωτῆρος, *Suppl.* 24—26: ὕπατοί τε θεοί, καὶ βαρύτιμοι χθόνιοι θήκας κατέχοντες, καὶ Ζεὺς σωτὴρ τρίτος. Sed non in Iove solo haec ternionis sanctitas cernitur, ut cuique perspicuum fit, qui Wellaueri Lexicon Aeschylaeum (s. v. τρίτος subque iis vocibus, quae ab τρι(σ)- incipiunt) inspicit. Non igitur miror hanc rem multos iam de divina trinitate (quam theologi vocant) monuisse (vide O. Zöckler, Theologia naturalis, Frankf. a. M. Erlangen 1860. p. 660, 690, passim).

1) Fragm. 70 (*Heliadum*).

2) Cfr. ad Ephes. I, 23; Jerem. XXIII, 20, 24; Psalm. CXXXIX, 7—12 et Hodge, Syst. Theol. I, 383—385. Naegelsbach de hoc fragmento dicit (N. H. T. p. 137, 3): „in welcher Stelle der anscheinende Pantheismus durch das καὶ ὅτι τῶνδ' ὑπέρτερον wieder aufgehoben und in Zeus nicht blos das Moment der Immanenz, sondern auch der Transcendenz anerkannt wird (vide tamen p. 64 huius libri).

mum pertinere videntur, nostram de Aeschyli monotheismo opinionem corroborant, eoque ipso, quod ei rei, quam debebant defendere, repugnant, magnam vim veritatis cum monotheismo facientis demonstrant. Sescenties enim in Aeschyli tragoediis vox *θεοί* numero plurali adhibetur. At si plures sunt dii, hi ommes diversas naturas diversamque potentiam habere debent (exceptis scil. iis, quae omnino ad divinam naturam pertinent). Quod ita esse videmus, ubi de certis diis est sermo. Sic e. gr. multum interest inter Vulcanum et Venerem, Martem et Cererem, Mercurium et Minervam, ita ut quisque horum deorum suam propriam habeat naturam. Ubi tamen aliquid ad universos deos refertur, hi omnes unam videntur efficere personam, 1) singuli autem eius partes esse, quae opinio confirmatur eo, quod unam eandemque rem modo ad unum deum (plerumque Iovem), modo ad cunctos deos referri videmus, unde colligi potest vocem *θεοὶ* plur. num. ex vetere consuetudine adhiberi, Aeschylum tamen religione quaquam non impeditum fuisse, quin hos plures deos in unum deum redigeret. Sic *Pers.* 216, ut exemplo utar, chorus suadet Atossae, ut omnibus d i i s supplicet, v. 345 d i i servant Athenas, v. 360 Xerxes obnoxius fuisse dicitur d e o r u m invidiae, v. 371 Xerxis clades *τὸ μέλλον ἐκ θ ε ῶ ν* dicitur; v. 452 tamen hanc cladem u n u s d e u s effecit, v. 470 *δ α ί μ ω ν* ab Atossa calamitatis causa vocatur, ut etiam v. 513 a choro fit, qui tamen v. 530 dicit I o v e m exercitum Persarum perdidisse. 2) Sic

1) Naegelsbach, N. H. Th. p. 345, 14: „Und wenn, was oft geschieht, der Vollzug einer Strafe den Göttern im Algemeinen zugeschrieben wird, so erlaubt der oben II, 22, 2 dargelegte Wechsel der polytheistischen und monotheistischen Ausdrucksweise anzunehmen, dass mit dem Ausdruck *θεοὶ* die Gottheit überhaupt gemeint sei, dass aber jeder Grieche, der sich, wenn von göttlicher Strafe im Allgemeinen die Rede ist, eine bestimmte Gottheit als strafend denken wollte, gewiss nur auf Zeus verfallen wäre."

2) Quod v. 352 nuntius *ἀλάστορα* nominat et v. 549 Xerxes a choro dicitur exercitum Persarum perdidisse, possimus addere Graecos auctores

Pelasgus Danaides monet, ut supplicent diis domesticis, 1) chorus autem continuo clarissimum illud carmen orditur, sed in solius Iovis gloriam.

Quae omnia ut breviter comprehendam, apparet in Aeschylo vim consuetudinis a patribus acceptae cum vi rationis et veritatis pugnasse, cuius pugnae hic fuit exitus, ut verbis interdum plures deos acceperit, re autem unum deum esse crediderit, cum Iovem tantopere extolleret, ut alii cui deo nullus relinqueretur locus. Cum igitur demonstraverim, quod volui, iam altero capite fatum (*Μοῖρα*) quid sibi velit, breviter exponam.

---

fuisse, sed haec omnia optime consentiunt cum ceteris, quoniam ἀλάστωρ est causa, Xerxes et Graeci sunt instrumenta, deus vero vel dii vindices. — Vide etiam *Pers.* 733—741, ubi Darius Xerxis superbiam causam calamitatis appellat.

1) *Suppl.* 503—504: θεοὺς ἐγχωρίους λιταῖς παραιτοῦ.

CAPUT II.

QUID SIT *Μοῖρα* APUD AESCHYLUM QUAERITUR.

In primo capite (p. 4) diximus magnam controversiam esse, utrum *Ζεύς* an *Μοῖρα* (vel *Μοῖραι*) Aeschylo summus deus fuerit. De qua controversia si nihil comperisses legissesque id tantummodo, quod nos superiore capite de Iove scripsimus, et si contenderet aliquis apud Aeschylum quiddam esse ipso Iove maius, cui hic deus optimus maximus parere deberet, obstupefactus fortasse astares. Postquam autem tibi mens redisset, continuo certe diceres Iovem igitur in regno *τῆς Μοίρας* esse, qui Maior domus in regno Franco-gallorum sub Francis regibus fuisset, ita ut *Μοῖρα* esset anus imbecilla, quae perpetuo domi ad focum sederet, *Ζεύς* autem nomine minister eius et procurator, re tamen is, penes quem totum esset imperium. Quam admirationem quamquam fateor non ita ridiculam esse, tamen haec res digna est, quae diligenter cognoscatur, propterea quod cum multis aliis vir clarissimus, Zellerum 1) dico, in castris *τῆς Μοίρας* pugnat. Ab eo stant e. gr. Haupt, Blümner, Toepelmann; in hostium autem castris videmus Bernhardy, K. O. Müllerum, Hartungium, Klausenium, 2) alios. Unde haec inter viros doctos discordia? Ut omnes omnium temporum homines,

---

1) Vide notam alteram p. 4.

2) Quorum opera, in quibus de hac re disseritur, p. 4 huius libri laudata invenies.

sic Graeci multas videbant res contra opinionem atque aliter, atque ipsi voluissent, evenire. Quod modo fortunae (*τύχη*), modo fato vel divinae necessitati (*μοίρα*, *ἀνάγκη*) tribuebant.

Sed sive *τὴν τύχην*, sive *τὴν μοῖραν* causam et effectricem harum rerum esse putabant, utraque erat potestas quaedam extra homines posita, id quod nomina ipsa testantur. 1) Unde fiebat, ut saepe nihil interesse videretur inter *τύχην* et *μοῖραν*. Sic a personis Aeschyleis *τύχη* pariter ac *μοῖρα* ad deos referebatur 2). Quid autem refert, utrum id, quod dii constituerint, *τύχην* an *μοῖραν* vocemus? Nomina quamvis differant, res manet eadem. 3)

---

1) Quamquam haec potestas Graecis, quae eorum felix indoles erat, alacritatem ad agendum nunquam ademit, quem ad modum e. gr. apud nonnullos populos Mohammedi sectatores ut Turcos fieri constat. Item apud populos Christianos nonnulli nebulones aeternum consilium divinum (quam theologi praedestinationem vocant) sic interpretantur, ut dicant nihil interesse, quem ad modum vivas aut quid agas, quoniam id, quod Deus ab aeternitate constituerit, nullo modo mutari aut effugi possit. Quod idem quamquam interdum apud Graecos ab hominibus desperatis putari videmus ut in Aesch. *Sept.* v. 672—674 ab Eteocle:

ἐπεὶ τὸ πρᾶγμα κάρτ' ἐπισπέρχει θεός,
ἴτω κατ' οὖρον κῦμα Κωκυτοῦ λαχὸν
Φοίβῳ στυγηθὲν πᾶν τὸ Λαΐου γένος,

tamen rem acu tetigit Barthelemy, cum dixit: ils raisonnent, comme s'ils ne pouvaient rien; ils agissent comme s'ils pouvaient tout (quae verba apud Hartungium, Erinyen, Einl. p. 13 laudata inveni).

2) De fato hic non opus est locos afferre, quippe qui infra omnes tractandi sint. *Τύχη* ad deos refertur *Sept.* 489—491, ad quem locum scholiasta annotat: *τά ἀπὸ τῆς τύχης Ἑρμῇ ἀναφέρουσιν.*
Porro *Choëph.* 204—205:

ΟΡ. εὔχου τὰ λοιπά, τοῖς θεοῖς τελεσφόρους
εὐχὰς ἐπαγγέλλουσα, τ υ γ χ ά ν ε ι ν καλῶς

et *Choëph.* 764—766:

νῦν παραιτουμένῳ μοι, πάτερ
Ζεῦ θεῶν Ὀλυμπίων,
δὸς τ ύ χ α ς.

3) Cfr. J. Calv. Instit. Christ. rel. (edit. Brunsvig. a. 1869) I, 16, 9: Quoniam tamen longe infra providentiae Dei altitudinem *subsidit mentis*

Unde factum est, ut Aeschylus τὴν τύχην cum τῷ πεπρωμένῳ coniunxerit *Agam.* 659—663, ubi ad nomen Helenae alludit:

ΧΟ. τίς ποτ' ὠνόμαζεν ὧδ'
ἐς τὸ πᾶν ἐτητύμως·
μή τις ὅντιν' οὐχ ὁρῶμεν προνοί-
αισι τοῦ πεπρωμένου
γλῶσσαν ἐν τύχᾳ νέμων;

etiam cum τῇ μοίρᾳ *Sept.* 488—489:

ἀνὴρ κατ' ἄνδρα τοῦτον ᾑρέθη, θέλων
ἐξιστορῆσαι μοῖραν ἐν χρείᾳ τύχης.

Eodem pertinet, quod Iovis interitus, a Furiis vel Diris, quae ἀνάγκης οἰακοστρόφοι a Prometheo dicuntur (*Prom.* 517—518) ei paratus (vv. 909—911), eius τύχη appellatur v. 767:

ΙΩ. οὐδ' ἔστιν αὐτῷ τῆσδ' ἀποστροφὴ τύχης;

Item testatur Pausanias 1) Μοιρῶν unam a Pindaro Τύχην appellatam esse, qua re diserte indicatur τύχην et μοῖραν ex Pindari sententia eodem redire. Quodsi omnes quae de fato in Aeschyli fabulis sunt obviae sententiae pari modo inter se consentirent atque eae, quae de fortuna ibi occurrunt, haud dubium esset, quomodo se res haberet. Quem concentum interdum desiderari iam demonstrare incipio, idque ita, ut videam, quae in singulis Aeschyli fabulis insint ad hanc rem pertinentia.

---

nostra tarditas, adhibenda est quae eam sublevet distinctio. Dicam igitur, utcunque ordinentur omnia Dei consilio certa dispensatione, nobis tamen esse fortuita. Non quod fortunam reputemus mundo ac hominibus dominari, temereque omnia sursum deorsum volutare (abesse enim a christiano pectore decet hanc vecordiam); sed quoniam eorum quae eveniunt, ordo, ratio, finis, necessitas, ut plurimum in Dei consilio latet, et humana opinone non apprehenditur, quasi fortuita sunt, quae certum est ex Dei voluntate provenire. Non enim aliam imaginem prae se ferunt, aut in natura sua considerata(e), aut secundum notitiam nostram iudiciumque aestimata(e).

1) Pausan. VII, 26, 8: ἐγὼ μὲν οὖν Πινδάρου τά τε ἄλλα πείθομαι τῇ ᾠδῇ, καὶ Μοιρῶν τε εἶναι μίαν τὴν Τύχην καὶ ὑπὲρ τὰς ἀδελφὰς τε ἰσχύειν.

In *Persis* vox μοῖρα bis invenitur, vv. 93—95 scil. et 896—898. Priore loco legitur:

> θεόθεν γὰρ κατὰ μοῖρ'
> ἐκράτησεν τὸ παλαι-
> όν,

altero loco :

> εἴθ' ὄφελε, Ζεῦ, κἀμὲ μετ' ἀνδρῶν
> τῶν οἰχομένων
> θανάτου κατὰ μοῖρα καλύψαι.

In hoc postremo versu θανάτου μοῖρα simpliciter θάνατος dici possit, nam θανάτου est genetivus epexegeticus. Porro animadvertendum est hoc loco mortem non ab dea aliqua Μοίρᾳ, sed ab Iove, quamvis obliquis verbis, peti. Quod v. 93 legitur, θεόθεν μοῖραν dico, haec verba nihil aliud significant nisi voluntatem vel consilium dei.

Hoc igitur loco μοῖρα non est persona, neque quicquam in dubio est, nisi hoc, quis sit ille deus, cuius μοῖρα ἐκράτησεν. Estne dea Μοῖρα, an Ζεύς, an totum consilium deorum (θεῶν πανάγυρις *Sept.* 201—202, vel ξυντέλεια *Sept.* 233)? Non patet. Sed θεόθεν μοῖρα apud Aeschylum certe non significat Μοίρας μοῖραν, neque, cum θεόθεν idem valeat ac θεοῦ, d e o r u m voluntatem: restat igitur solus Iuppiter. Hoc saltem dici potest, in *Persis* nihil inveniri, quod nos credere cogat Μοῖραν personam atque deam esse, neque quicquam, unde effici possit μοῖραν supra Iovem esse positam. Immo videmus in *Persis* summam rerum ab Iove reliquisque diis gubernari, e. gr. v. 371:

> οὐ γὰρ τὸ μέλλον ἐ κ θ ε ῶ ν ἠπίστατο,

item vv. 530—534 (in cantico chori):

> ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, νῦν Περσῶν
> τῶν μεγαλαύχων καὶ πολυάνδρων
> στρατιὰν ὀλέσας
> ἄστυ τὸ Σούσων ἠδ' Ἀγβατάνων
> πένθει δνοφερῷ κατέκρυψας,

et passim. — In *Persis* autem deam Μοῖραν desiderari

permagni est momenti, primo cum in hac fabula non de singulis personis sed de totis populis agatur deaque *Μοῖρα*, si revera exstare putaretur, potentiam suam, si minus in parvis rebus, at certe in magnis demonstrare debebat, tum etiam, quia Aeschylus, ubi argumentum ex mythologia sibi sumpserat, perfacile tali fabulae omnes de diis *μύθους* intexere poterat, cum tamen celebrabat ea, quae revera atque ipsius poëtae aetate facta erant, summa occasio ei offerebatur suae de summo deo sententiae prodendae. Sed iam ad *Septem* tragoediam aggrediamur.

In hac tragoedia vox *μοῖρα* occurrit vv. 489, 922—923, 955. Sententia tota, in qua v. 489 *μοῖρα* nominatur, est haec (vv. 487—491):

Ὑπέρβιος δὲ κεδνὸς Οἴνοπος τόκος
ἀνὴρ κατ' ἄνδρα τοῦτον ᾑρέθη, θέλων
ἐξιστορῆσαι μοῖραν ἐν χρείᾳ τύχης,
οὔτ' εἶδος οὔτε θυμὸν οὔθ' ὅπλων σχέσιν
μωμητός, Ἑρμῆς δ' εὐλόγως συνήγαγεν.

Hoc loco *μοῖρα* significare potest f a t u m et s o r t e m, sed sive haec, sive illa versio magis placet, utroque modo *μοῖρα* caret vita significatque id, quod divinitus est constitutum, ut apparet ex his *Ἑρμῆς δ'εὐλόγως συνήγαγεν* 1) et ex verbo quod est *ἐξιστορῆσαι.*

Vv. 922—923 legitur:

ἔχουσι μοῖραν λαχόντες, [ὦ] μέλεοι,
διοσδότων ἀχέων.

In hoc versu *μοῖρα* est s o r s aut p a r s. Si interpretamur sortem, *διοσδότων ἀχέων* est genetivus epexegeticus, sin partem, genetivus partitivus. Hic igitur *μοῖρα* non magis est persona, quam in eo versu, de quo supra fuit sermo,

---

1) Quae opinio non eo debilitatur, quod *Ἑρμῆς* hanc unam ob causam hic nominatur, quia certamen ad nullum deum potius refertur quam ad *Ἑρμῆν ἀγώνιον*, id quod Aeschylus eo facilius facere potuit, cum Mercurius imprimis Iovis esset nuntius. Vide Chr. Scherer in W. H. Roscheri lexico s. v. Hermes.

et, quod maius est, haec μοῖρα dolores sunt, a Iove dati (διοσδότων), ergo haec ipsa μοῖρα proficiscitur ab Iove.

V. 955 denique Antigone et Ismene μοῖραν tractant ut personam, quippe quae dicant:

ἰὼ Μοῖρα βαρυδότειρα μογερά.

At *Agam.* vv. 123—125 idem fit:

πάντα δὲ πύργων
κτήνη πρόσθε τὰ δημιοπληθῆ
μοῖρα λαπάξει πρὸς τὸ βίαιον·

ubi tamen non est, cur μοῖραν magis deam esse putemus quam κέλευθον v. 122, quae dicitur urbem Priami aliquando esse captura:

χρόνῳ μὲν ἀγρεῖ Πριάμου πόλιν ἅδε κέλευθος.

Recorderis etiam, quaeso, quae de figura προσωποποιίας scripsi, priore capite, p. 17 c. annot. 4. Accedit, quod non necesse est vix adultas virgines, praesertim cum in summo sint luctu, poëtae mentem exprimere, quia in eiusmodi lamentationibus eae potissimum voces eduntur, quae ex propinquorum et amicorum consuetudine maxime sunt usitatae. Et etiam si concederetur μοῖραν hic personam esse, non tamen ex hoc loco efficeretur eam supra Iovem esse. Itaque hic versus nihil efficit, sed potius aliis locis, ubi poëta magis disertis loquatur verbis, illustrandus erit.

Superest ut pauca addam de vv. 245—264, ubi τοῦ μορσίμου fit mentio. Postquam enim Eteocles chorum lamentandi deosque palam implorandi finem facere iussit, chorus respondet (v. 245):

σιγῶ· σὺν ἄλλοις πείσομαι τὸ μόρσιμον.

At Eteocles, postquam haec verba collaudavit, dicens (v. 246):

τοῦτ' ἀντ' ἐκείνων τοὔπος αἱροῦμαι σέθεν,

ipse chorum monet, ut deos imploret, sed ἐκτὸς οὖσ' ἀγαλμάτων atque ita, ut θάρσος incutiat φίλοις, λύουσα πολέμιον φόβον (v. 252). Deinde dicit sibi ipsi in animo esse deos colere et finem adhortandi facit his verbis (vv. 262—264):

τοιαῦτ' ἐπεύχου μὴ φιλοστόνως θεοῖς,
μηδ' ἐν ματαίοις κἀγρίοις ποιφύγμασιν·
οὐ γάρ τι μᾶλλον μὴ φύγῃς τὸ μόρσιμον.

Thebani igitur non effugient, quod iis fatale est, sed ut id effugiant vel potius in meliorem partem vertant, omnibus fere diis 1), excepto Fato, precandum est et sacrificandum. Quid inde efficitur? Num petet aliquis auxilium ab iis, penes quos potestatem auxilii ferendi non esse existimat? Id igitur, quod dii de Thebanis constituent aut potius c o n s t i t u e r u n t 2), est τὸ μόρσιμον. Itaque per totam tragoediam Thebani facere non possunt, quin omnem salutem a diis potissimumque ab Iove petant (ab Iove vv. 69, 111, 237, 468, 613).

Sed videamus de Fato quid nos doceant *Supplices*, illa tragoedia, in qua Ζεὺς exquisitissimis verbis colitur, idque a posteris eiusdem mulieris, Io dico, adversus quam Ζεὺς se quam turpissime gessisse a Prometheo dicitur.

Vocabulum μοῖρα semel tantum occurrit, v. 1008:

δέδοται δ' Ἁρμονίᾳ μοῖρ' Ἀφροδίτας,

ubi tamen μοῖρ' Ἀφροδίτας significat partem (vel participem esse) Veneris (hoc nomen metonymice hic pro eo, quod est *amor* usurpatur), quod igitur non ad rem attinet.

Sed adiectivum μόρσιμος ter invenitur, vv. 45 scil., 752, 1024. Dea Μοῖρα igitur in *Supplicibus* nusquam occurrit. Hoc tantum rogabit fortasse aliquis, cuinam deo deaeve hoc μόρσιμον tribuatur. Id neque ex v. 45 apparet, ut quisque videt (v. 44—46):

ἐπωνυμίᾳ δ' ἐπε-
κραίνετο μόρσιμος αἰὼν
εὐλόγως,

---

1) Miseri illi homines prae multitudine deorum dearumque dubitabant, quis eorum implorandus esset (v. 91—92: τίς ἄρα ῥύσεται, τίς ἄρ' ἐπαρκέσει θεῶν ἢ θεᾶν;), quamobrem praestare videbatur omnes deos, vel potius eorum simulacra, simul implorare.

2) Cfr. *Choëph.* 451: τὸ μόρσιμον μένει πάλαι.

neque ex v. 752—753:

θέλοιμι δ' ἂν μορσίμου
βρόχου τυχεῖν ἐν ἀρτάναις,

sed eo melius ex v. 1014, qui versibus 1015—1016 explicatur:

ὅ τί τοι μόρσιμόν ἐστιν, τὸ γένοιτ' ἄν.
Διὸς οὐ παρβατός ἐστιν
μεγάλα φρὴν ἀπέρατος.

Desiderasne, quaeso, verba magis dilucida, ut appareat nullum fatum esse, nisi quod *Ζεὺς* constituat?

Dicendum denique est de voce quae est *Αἶσα*. Quae vox ut apud omnes fere scriptores Graecos idem significat quod *Μοῖρα*, sic non aliter res se habet in Aeschyli tragoediis, ubi *αἶσα* aeque ac *μοῖρα* fatum 1) significat et sortem 2). De *Supplicum* v. 205 non est, cur dicam, cum hoc loco *αἶσα* idem significet, quod sors. Danaus enim dicit (v. 204): *ἁγνόν τ' Ἀπόλλω φυγάδ' ἀπ' οὐρανοῦ θεόν* (*κικλήσκετε* scil.) ad quod chorus respondet (v. 205):

εἰδὼς ἂν αἶσαν τήνδε συγγνοίη 3) *βροτοῖς.*

Hic ad vocem *αἶσαν* supplendum est *φευγόντων*, ita ut hic versus sic interpretandus sit: Apollo cum noverit hanc sortem fugientium, mortalibus adsit.

V. 528 verba *ἐν αἴσᾳ* scholiastes recte interpretatur *ἐν εἱμαρμένῃ*, ubi igitur *αἶσα* est *μοῖρα*, sed sensu passivo, quod in *Septem* etiam *μόρσιμον* appellatum esse vidimus.

V 72. Codex Laurentianus habet:

---

1) Cfr. *Choëph.* 629: *προχαλκεύει δ'Αἶσα φασγανουργὸς* cum *Agam.* 1097—1498:

δίκα (δίκαν?) δ' ἐπ' ἄλλο πρᾶγμα θηγάνει βλάβης
πρὸς ἄλλαις θηγάναις Μοῖρα.

(Subiectum *Μοῖρα* hic tueor contra Musgravium et Wecklein, respectu habito versus 629 ex *Choëph.*, ubi *Αἶσα* subiectum est). — Vide etiam *Suppl.* 643:

ὃς (Ζεὺς scil.) *πολιῷ νόμῳ αἶσαν ὀρθοῖ.*

2) E. gr. *Choëph.* 70, 357, 920.

3) Ad hanc vocem vide Wellaueri lexicon, p. 137 et 245.

ηκαι μὴ τέλεον δόντες ἔχειν παρ' αἶσαν 1)

Quod ηκαι mutatum est in ἢ καί, id sine ulla dubitatione omnes probabunt. Quod tamen nonnulli περ, non παρ' scribunt, equidem fateor me in alia omnia ire, quia περ neque hoc loco exspectaveris, neque, quod maius est, sententia hac emendatione clarior, immo multo obscurior fit. Nam versio Hartungii: „oder wollet ihr nicht volle Gebühr verleih'n. . ." unicuique, excepto scil. Hartungio ipso, inepta videbitur, neque alio quo modo ita verti possit, ut toleranda sit sententia. Perspicuum autem est, si παρ' tuemur, τέλεον non ad αἶσαν referendum, sed substantive adhibitum esse 2), ita ut καὶ μὴ τέλεον δόντες ἔχειν παρ' αἶσαν significet: etiamsi non sinitis (me) perpetrare, i. e. si non perficitis (quod opto scil.) contra fatum, 3) i. e. quod fatum id non permittat. Hic animadvertendum est non, quo opionem meam corroborem, mihi videri παρ' tuendum esse, nam hoc παρ' in meum commodum verti non potest, cum vocabulo περ recepto αἶσαν (una cum ἔχειν) sit obiectum verbi quod est δόντες, ita ut haec αἶσα a diis proficisci dicatur, sin autem παρ' legamus, non pateat, quis hanc αἶσαν statuat.

At hoc loco nihil curamus, ad quem sit αἶσα (i. e. μοῖρα) referenda, cum Aeschylus ipse nobis auxilia mittat v. 643, ubi disertis verbis omnem dubitationem tollit. Ibi legitur vv. 640—645):

τὼς πόλις εὖ νέμοιτο
Ζῆνα μέγαν σεβόντων,

---

1) Ecce totus locus (vv. 71—74):

ἀλλά, θεοὶ γενέται, κλύετ' εὖ τὸ δίκαιον ἰδόντες,
ἢ καὶ μὴ τέλεον δόντες ἔχειν παρ' αἶσαν,
ὕβριν δ' ἐτύμως στυγοῦντες
πέλοιτ' ἂν ἔνδικοι γάμοις.

2) Cfr. *Agam.* 1465—1466 (p. 45). Si quis autem τέλεον ad τὸ δίκαιον (v. 69) referre mavult, me non admodum repugnantem habet.

3) Aut, si cum scholiasta, quem etiam παρ' legisse atque probavisse apparet, αἶσαν interpretamur τὴν τῶν Αἰγυπτιαδῶν, contra sortem.

τὸν ξένιον δ' ὑπέρτατον,
ὃς πολιῷ νόμῳ αἶσαν ὀρθοῖ 1),

Itaque in *Supplicibus* sive *αἶσα*, sive *τὸ μόρσιμον* indicat fatum, semper *Ζεύς* est, qui hoc fatum constituit. Qua cum re congruit, quod chorus Supplicum Iovem sic alloquitur (*Suppl.* 507—509):

ἄναξ ἀνάκτων, μακάρων
μακάρτατε καὶ τελέων
τελειότατον κράτος, ὄλβιε Ζεῦ.

quodque vv. 575—579 de Iove dicitur:

ὑπ' ἀρχᾶς δ' οὔτινος θοάζων
τὸ μεῖον κρεισσόνων κρατύνει·
οὔτινος ἄνωθεν ἡμένου σέβει κάτω.
πάρεστι δ' ἔργον ὡς ἔπος
σπεῦσαι τι τῶν βούλιος φέρει φρήν,

---

1) Cfr. *Choëph.* 68—70;

ἐμοὶ δ' ἀνάγκαν γὰρ ἀμφίπτολιν
θεοὶ προσήνεγκαν· ἐκ γὰρ οἴκων
πατρῴων δούλιον ἐσάγον αἶσαν.

Mea huius versus (643) interpretatio Blümnero non placuisset, nec mirum. Non enim in eius de fato opinionem quadrat. Scripsit in annotatione ad hunc versum op. laud. p. 102—103: „Das Wort *ὀρθοῖ* möchte ich nicht mit den deutschen Uebersetzern durch *Lenken* ausdrücken, obschon es auch Spannheim zu Kallimachos Hymne auf Delos, 122 so erklärt, sondern durch aufrecht, in Ehren halten, bewachen (*τηρεῖ*, Schol.). Zwar ist des letztern Bemerkung, dass Zeus anderwärts als Lenker des Schicksals dargestellt wird, richtig (s. Böttiger's Zeus, S. 28 und unten), allein dies kommt mit des Aeschylos' Vorstellung nicht überein. Vielmehr besteht der Rathschluss Moira's fest und unveränderlich. Aber Zeus kann und will ihm auch nicht entgegen handeln. Beider Wille ist Einer. So identisch erscheint er auch Vs. 1051 f. Zeus, als der höchste unter den neuen Göttern, hält die *Αἶσα* aufrecht; er sorgt, dass ihrem Willen zuwider nichts geschehe. Allerdings wird in einigen Stellen dieses Drama dem Zeus der Ausgang zugeschrieben, dies ist jedoch, wie schon über die Sieben gegen Thebe (S. 30 f.) bemerkt worden, entweder so zu deuten, dass man annahm, Zeus könne den Rathschluss Aisa's mildern oder seine Wirkungen aufschieben, oder es sey nicht gerade jede Begebenheit von der Aisa vorherbestimmt gewesen, oder Moira und Zeus flossen später in Einen Begriff zusammen". Quod igitur ex his tribus maxime placet, eligere potes.

quibus dicitur disertis verbis neminem supra Iovem eumque nullius imperio subiectum esse. Quam inepte id sonaret, si nihilominus *Μοῖρα* dea Iove maior exstaret. 1)

In tragoedia, quae *Agamemnon* inscribitur, vocabulum *μοῖρα*, quamquam saepius occurrit, fere ubique significat sortem aut mortem (v.v. 980, 1268, 1319, 1406, 1417, 1559, eandem significationem habet *μόρος* v. 1571, 1598). Haec *μοῖρα* v. 980 ab diis constitui dicitur: *τεταγμένα ἐκ θεῶν*. Bis etiam invenitur adiectivum *μόρσιμος* 2), participium *πεπρωμένος* ter 3), quae voces fere aeque valent, sed utraque ad res humanas tantum pertinet, quarum *Ζεὺς* sola causa esse dicitur v. v. 1448—1449:

ἰὼ ἰή, διαὶ Διὸς παναιτίου 4) *πανεργέτα.*
τί γὰρ βροτοῖς ἄνευ Διὸς τελεῖται 5);

Ex hoc eodem loco apparet, quid sit fatum de quo v. 125 6) et v. 1498 7) sermo est.

Hactenus igitur Iovis maiestas incolumis evasit apparuitque fatum nihil aliud significare nisi consilium Iovis aliorumque deorum. Quod non ita est in *Eumenidibus* et *Prometheo*, ad quas tragoedias *Choëphoroe* transitum

---

1) Vide etiam vv. 79, 388, 574, 779, 785—787, 1024.

2) *Agam.* 145—146:

τοιάδε Κάλχας ξὺν μεγάλοις ἀγαθοῖς ἀπέκλαγξεν
μόρσιμ' ἀπ' ὀρνίθων ὁδίων οἴκοις βασιλείοις.

et v. 1001: *μορσίμων ἀγρευμάτων.*

3) *Agam.* 68: *τελεῖται δ' ἐς τὸ πεπρωμένον·*

v. 661—662: *προνοίαισι τοῦ πεπρωμένου.*

v. 1628: *στείχετε.... πρὸς δόμους πεπρωμένους τούσδε;*

4) Si *Μοῖρα* aliqua supra Iovem esset, hic summum *μεταίτιος* appellari debebat. Cfr. verba, quibus Erinyes Apollinem alloquuntur, *Eum.* 197—198:

αὐτὸς σὺ τούτων οὐ μεταίτιος πέλῃ,
ἀλλ' εἷς τὸ πᾶν ἔπραξας ὢν παναίτιος.

5) Cfr. vv. 62, 354, 655.

6) Vide de hoc loco p. 39.

7) Vide notam 1. p. 41. Si cum Wecklino Musgravi coniecturam reciperem (*Δίκα ... θηγάνει ... μάχαιραν*), de hoc loco tacere possem.

praebere videntur. In hac enim tragoedia reliqui omnes loci aliquid de fato continentes eodem modo, quo ceteri, qui pertractati iam sunt, explicari possunt; unus vero, vv. 298—300 dico, excipiendus videtur. Quo loco excepto vox *μοῖρα* legitur semel plurali numero v. 230—231, ubi Electra sic alloquitur Orestam:

> *ὦ τερπνὸν ὄμμα τέσσαρας μοίρας ἔχον*
> *ἐμοί.*

Hoc loco tamen *μοῖραι* sunt partes, nam Electra dicit Orestam partibus fungi patris, matris, sororis, fratris. 1)

Porro eadem vox bis occurrit vv. 903—904:

> *ΚΛ. ἡ Μοῖρα τούτων, ὦ τέκνον, παραιτία.*
> *ΟΡ. καὶ τόνδε τοίνυν Μοῖρ' ἐπόρσυνεν μόρον.*

Hic igitur Clytaemestra *Μοῖραν* appellat auctorem caedis, Orestes autem non contra dicit, sed respondet: hoc si ita est, Fatum etiam te nunc interficit, ex qua ironia luce clarius patet Orestam aliter sentire. Neque ipsa Clytaemestra hoc credit, non magis, quam illud, quod dicit *Agam.* 1458—1466:

> *αὐχεῖς εἶναι τόδε τοὔργον ἐμόν·*
> *μηδ' ἐπιλεχθῇς*
> *Ἀγαμεμνονίαν εἶναι μ' ἄλοχον.*
> *φανταζόμενος δὲ γυναικὶ νεκροῦ*
> *τοῦδ' ὁ παλαιὸς δριμὺς ἀλάστωρ*
> *Ἀτρέως χαλεποῦ θοινατῆρος*
> *τόνδ' ἀπέτεισεν*
> *τέλεον νεαροῖς ἐπιθύσας.*

nam *Agam.* 1511—1512 eadem gloriatur: *πρὸς ἡμῶν κάππεσε, κάτθανε.*

---

1) *Choëph.* 231—235:

> *προσαυδᾶν δ' ἔστ' ἀναγκαίως ἔχον*
> *πατέρα τε καὶ τὸ μητρὸς ἐς σέ μοι ῥέπει*
> *στέργηθρον· ἡ δὲ πανδίκως ἐχθαίρεται·*
> *καὶ τῆς τυθείσης νηλεῶς ὁμοσπόρου·*
> *πιστὸς δ' ἀδελφὸς ἦσθ' ἐμοὶ σέβας φέρων.*

Quod de hac re Aeschylus sensit, chorus pronuntiavit vv. 1467—1470:

ὡς μὲν ἀναίτιος εἶ
τοῦδε φόνου τίς ὁ μαρτυρήσων;
πῶ πῶ; πατρόθεν δὲ συλλή-
πτωρ γένοιτ' ἂν ἀλάστωρ.

Sed quid multa? Perspicuum est Clytaemestram haec de fato verba mortis metu captam dicere, ut sese extra culpam ponat, non aliter ac Agamemnon facit in Iliade, ubi se apud Graecos purgat. Dicit enim (XIX, 86—89):

ἐγὼ δ' οὐκ αἴτιός εἰμι,
ἀλλὰ Ζεὺς καὶ μοῖρα καὶ ἠεροφοῖτις ἐρινύς,
οἵ τέ μοι εἰν ἀγορῇ φρεσὶν ἔμβαλον ἄγριον ἄτην,
ἤματι τῷ, ὅτ' Ἀχιλλῆος γέρας αὐτὸς ἀπηύρων,

et quae sequuntur. Sed et Agamemnon sentit suam esse culpam et Graecos idem sentire putat. Quod nisi ita esset, cur, quaeso, post tam longam defensionem, ei tantis pollicitationibus opus èsset, quantas facit vv. 137—144? Quodsi neque Clytaemestra credit, quod dicit, neque Orestes, ne nos credamus haec verba Aeschyli exprimere mentem 1). Si nihilominus aliquis hanc rem urgere velit, moneo *τὴν Μοῖραν* etiam hoc loco *προσωποποιίας* usu explicari posse, quo accedit, quod minime apparet, quae hic inter fatum et Iovem ratio intercedat.

Quod *τὸ μόρσιμον* legitur vv. 96 et 451 et *μοιρόκραντον... ἦμαρ* v. 595, hoc silentio praeterimus, cum, ut saepius *τὸ μόρσιμον*, sic *ὁ μοιρόκραντος θεσμὸς* Erinyum ab his deabus ipsis *Eum.* 388—389 *ἐκ θεῶν δοθεὶς* dicatur 2), nobisque ad v. 298 sit properandum.

Hoc igitur versu *Μοῖραι* tanquam plures personae invocantur, sed additur vox, quae est *Διόθεν*, nec tamen statim apparet, quae ratio inter *Μοίρας* et Iovem intercedere

---

1) Cfr. Platner, Ueber die Idee der Gerechtigkeit in Aechylus und Sophocles, p. 67 (quae verba p. 7 annot. 1 iam laudata invenies).

2) Cfr. *Eum.* 349—353.

dicatur. Sententia enim admodum obscura est. Legitur vv. 298—300:

ἀλλ' ὦ μεγάλαι Μοῖραι Διόθεν
τῇδε τελευτᾶν,
ᾗ τὸ δίκαιον μεταβαίνει.

Obscuritas inde oritur, quod non perspicuum est, utrum comma ante *Διόθεν* an post hoc vocabulum ponendum sit, porro ex eo, quod Aeschylus noto usu verbum quod est *τελευτᾶν* modo transitive, modo intransitive adhibuit 1), itaque alii viri docti hanc, alii illam significationem huic loco vindicarunt. Si sententiam post *Μοῖραι* incidimus (quod vulgo faciunt), *Διόθεν* pertinet ad *τελευτᾶν*, quo sententia fit haec: At o magnae Parcae, Iove auctore res talem exitum habeat, quocum iustitia congruat!

Simili modo Wecklein interpretatur, qui vir clarissimus igitur *Διόθεν* cum *τελευτᾶν* coniungit et hoc verbum sensu intransitivo intellegit. Unum sane si conceditur, hoc flagitat alterum, quam ob rem minus probare possum interpretationem Naegelsbachii, quae legitur in opere, cui titulus Nach-Homerische Theologie, p. 150: „sie (*Μοῖραι* scil.), erscheinen in den Choëphoren 306(303) als Werkzeuge des Zeus, *die den Rathschluss desselben auszuführen berufen sind:* (sequitur totus locus). Denn Zeus ist nunmehr *Μοιραγέτης*, Lenker und Führer des Geschicks, Paus. 5, 15, 4; 8, 37, 1; 10, 24, 4". Non potest igitur Naegelsbachii versio non haec esse: O magnae Parcae, *Iove auctore* 2) rem ea via ad finem *perducite*, qua cum iustitia congruat. Quae sententia prorsus inepta est, quia non quemquam quid iubere vel ab eo petere possumus, quod ex alterius arbitrio pendeat 3).

---

1) Transitive *Agam.* 893; intrans. *Agam.* 613, *Suppl.* 201, passim.

2) Sic Naegelsbach ipse l. l. *Διόθεν* vertit.

3) Naegelsbachium *τελευτᾶν* sensu transitivo sumere ex eo apparet, quod, si hoc *τελευτᾶν* in *perficiatur* verteretur, non esset causa, cur *Μοίρας* effectrices esse putaremus. Eodem modo quo Naegelsbach, Blümner hunc

Aliter Wecklein, qui ad v. 305 annotat: „Zeus bringt das ewige Gesetz, welches die Mören vertreten, zur Ausführung". Secundum Naegelsbachium igitur *Μοῖραι* faciunt (quippe quae sint Iovis instrumenta, vide supra) id quod Wecklein Iovi attribuit. In hac re tamen consentiunt quod uterque eorum Iovi summam potestatem adscribit, *Μοῖρας* autem ei supponit (cfr. haec verba Naegelsbachii: *Werkzeuge des Zeus* cum iis, quae annotavit Wecklein p. 183 ad v. 305: *durch die Fügung von Zeus*).

Sive igitur cum Naegelsbachio chorum *Μοίρας* facimus orare ut Iove auctore rem perficiant, sive cum Weckline, ut ab Iove res perficiatur, utroque modo a Parcis aliquid petitur, quod in Iovis potestate positum est, id quod probare nullo modo possum.

Res tamen plane alia fit, si *Διόθεν* cum voce quae est *Μοῖραι* coniungimus, commate post *Διόθεν* posito. Dubitari quidem possit, num *Μοῖραι* (vel potius *μοῖραι*) *Διόθεν* dici liceat. Equidem affirmare non dubito, nam poëta iterum ac saepius (noto Graecorum usu) et *Διόθεν* et alias voces in *-θεν* desinentis cum nominibus (et adiectivis et substantivis) coniungit, ita tamen, ut verbum aliquod simul sit audiendum. Sic *Διόθεν* ad substantivum, quod est *κράτος*, additur *Suppl.* 420:

τάδε φράσαι δίκαια Διόθεν κράτη.

Cum adiectivis coniungitur *Agam.* 42—44:

---

locum interpretatur (Ueber die Idee des Schicksals in den Tragoedien des Aeschylos, p. 57): „Die Moiren und Zeus sind als die höchsten Mächte dargestellt. Von ihnen erwarten Agamemnons Kinder Beistand in ihrem Unternehmen gegen seine Feinde. Von dem Chor werden die Moiren angerufen, Orestes in seiner Gottbefohlnen Rache beizustehen (303 f.):

Erhabne Moiren *führet es aus*
nach dem Willen des Zeus[10]
auf dem Pfade des Rechts.

Et ad Zeus[10] annotat: „*Διόθεν* scheint hier nicht zu bedeuten: auf Zeus' Befehl, was dem Wesen der Moiren widersprechen würde, sondern nur: in Uebereinstimmung mit seinem Willen". *Διόθεν* igitur idem valeat, credo, quod *in Uebereinstimmung mit Zeus' Willen!*

Μενέλαος ἄναξ ἠδ' Ἀγαμέμνων,
διθρόνου Διόθεν καὶ δισκήπτρου
τιμῆς ὀχυρὸν ζεῦγος Ἀτρειδᾶν,

nisi si quis hunc locum ita intellegere malit, ut verba *διθρόνου καὶ δισκήπτρου τιμῆς* quasi unam notionem exprimant 1), ad quam *Διόθεν*, genetivi subiectivi significatione, accedat, cui opinioni me non admodum repugnantem habebit. 2) Eodem modo Aeschylus usus est voce, quae est *θεόθεν*, e. gr. *Agam.* 126: *ἄτα θεόθεν; Pers.* 93—94: *θεόθεν γὰρ κατὰ μοῖρ' ἐκράτησεν τὸ παλαιόν* 3).

Multo etiam magis hic usus verborum in — *θεν* desinentium pro genetivo apparet in voce quae est *σέθεν*. Quod verbum cum substantivo aut praepositione aut adverbio iungitur *Pers.* 218: *σοί τε καὶ τέκνοις σέθεν; Sept.* 128—129: *σέθεν γὰρ ἐξ αἵματος γεγόναμεν; Agam.* 846—847: *τόν θ' ὑπ' Ἰλίῳ σέθεν κίνδυνον; Eum.* 103: *ὅρα δὲ πληγὰς τάσδε καρδίᾳ σέθεν; Choëph.* 688: *οὔτοι κυρήσεις μεῖον ἀξίως σέθεν; Suppl.* 786—787: *τί δ' ἄνευ σέθεν θνατοῖσι τέλειόν ἐστιν;* passim. 4) *Μοῖραι Διόθεν* vel *θεόθεν μοῖρα* igitur idem est ac *Ζεὺς Μοῖρά τε Eum.* 1021—1022 (vide p. 40. Sic etiam R. H. Klausen, Theol. Aeschyli trag. p. 37). Unicuique sane perspicuum est, si *Διόθεν* et *μοῖραι* inter

1) Sic Wecklein hoc eodem loco etiam plura verba unam notionem continere ait in annotatione ad v. 43 (p. 34): „Von dem darin (i. e. in verbis quae sunt: *διθρόνου Διόθεν καὶ δισκήπτρου τιμῆς ὀχυρὸν ζεῦγος*) liegenden einheitlichen Begriff „gottbegnadetes Herrscherpaar" hängt der zweite Gen. *Ἀτρειδαιν* ab".

2) Locis, quales *Agam.* 448—449:

βάλλεται γὰρ ὄσ-
σοις Διόθεν κεραυνός.

et *Prom.* 1090—1091:

τοιάδ' ἐπ' ἐμοὶ ῥιπὴ Διόθεν
τεύχουσα φόβον στείχει φανερῶς.

non patet, utrum *Διόθεν* cum substantivo an cum verbo sit iungendum. — Cfr. Pindari Nem. VI, 14: *ταύταν μεθέπων Διόθεν αἶσαν.*

3) Cfr. Pind Pyth. XI, 50: *θεόθεν ἐραίμαν καλῶν.*

4) Loci de voce quae est *ἔθεν* addi possint.

se coniunguntur, has μοίρας non deas esse, sed fata quae ab Iove constituantur 1). Tum vero ὦ μεγάλαι μοῖραι non amplius sunt voces implorantis, sed exclamatio potius. At fortasse aliquis urgere velit μοίρας hoc loco deas esse idque ex eo apparere, quod vocentur μεγάλαι. Sed ne hoc quidem multum ad rem facit, quia usus adiectivi, quod est μέγας, latissime patet. Sic *Sept.* 636 legimus; ὦ θεομανές τε καὶ θεῶν μέγα στύγος; *Agam.* 1238 ὅρκος ἐκ θεῶν dicitur μέγας; *Choëph.* 361 legitur μεγάλης δὲ τύχης (= μεγάλης μοίρας); *Eum.* 604—605: μέγαν θεσμόν; *Prom.* 296: μείζονα μοῖραν; ibid. 647—648: γάμου .... μεγίστου, quibus locis multi addi possunt. Sed iam satis superque demonstravi eum verborum contextum, quem hic defendendum mihi suscepi, maxime probandum esse; cum sic omnis repugnantia, quam temere Aeschylo imputari non licet, sublata sit neque quicquam, ni fallor, possit afferri, quod huic opinioni obstet. Quodsi cum Wecklino τελευτᾶν ita vertamus, ut sensum habeat intransitivum, 2) versio totius loci est haec: At o magna fata Iovis (vel: ab Iove constituta), eum res habeat exitum, cui iustitia annuat.

Hucusque omnis de fato disputatio fuit de ratione, quae inter Iovem et μοῖραν (vel μοίρας) intercedebat, ubi res humanae ad eos referebantur et semper Ζεὺς summus evasit deus, cum μοίρας apparuit nihil esse nisi id, quod Ζεὺς de hominibus constituisset. Quare quamquam modo μοῖραι, modo μοῖρα dicebatur, in hoc numerorum vicissitudine nihil, quod offenderet, inerat. Contenti igitur possimus esse, nisi in *Eumenidibus* et *Prometheo* res se longe aliter habere videretur. Quid enim? In his tragoediis ex usu προσωποποιίας non omnia explicari possunt, nam hic Μοῖραι tres mulieres sunt, 3) matrem non solum sed

1) Eodem modo Klausen, Theol. p. 37.

2) In annot. ad *Choëph.* v. 305: „τελευτᾶν (exitum habeat)."

3) *Prom.* 518: Μοῖραι τρίμορφοι.

etiam sorores 1) habentes, quibus ipse *Ζεύς* inferior est, 2) quamquam eaedem deae ab Apolline decipi possunt. 3) Unde haec? Quia in his fabulis res non tam inter homines agitur quam inter deos. Supra iam diximus 4) non potuisse Aeschylum non credere Iovem deum esse, qui haberet initium. Unde factum est, ut ipse *Ζεύς* suam haberet *μοῖραν*. De hoc autem fato, quod Iovis proprium est, quamquam in *Eumenidibus* et *Prometheo* nusquam sermo est, tamen *Ζεύς*, ut iam diximus, in his fabulis infra illas tres mulieres ponitur, quae, licet patre careant, tamen Noctis sunt filiae omniumque rerum, tam divinarum quam humanarum, gubernaculum tenent. Sed iam breviter exponamus, quae in his duabus tragoediis de Parcis dicantur.

In *Eumenidibus* modo *Μοῖραι* inducuntur, modo *Μοῖρα*. Plurali numero *Μοῖραι* legitur vv. 172, 714, 940. Postremo loco Erinyes *Μοίρας* sic alloquuntur (vv. 940—946):

θεαί τ' ὦ Μοῖραι
ματροκασιγνῆται,
δαίμονες ὀρθονόμοι,
παντὶ δόμῳ μετάκοινοι,
παντὶ χρόνῳ δ' ἐπιβριθεῖς
ἐνδίκοις ὁμιλίαις,
παντᾷ τιμιώταται θεῶν,

i. e.: deaeque o Parcae, germanae sorores, numina iustum tribuentia, cuique domui communia, omni tempore graves iustis occursationibus, ubique honoratissimae deorum.

Μοῖραι sunt igitur Erinyum sorores, quae iustitiam exercent, quo munere reliquis fabulis *Δίκη*, Iovis filia

---

1) *Eum.* 940—941: *θεαί τ' ὦ Μοῖραι ματροκασιγνῆται.*
2) *Prom.* 519: *τούτων ἄρα Ζεύς ἐστιν ἀσθενέστερος.*
3) *Eum.* 718: *οἴνῳ παρηπάτησας ἀρχαίας θεάς.*
4) Pag. 16.

(i. e. ipse *Ζεύς*), fungebatur, quibus omnes res humanae obnoxiae sunt, non Iovi, ut in supra tractatis tragoediis; quaeque homines pro eorum facinoribus iustis poenis afficiunt, ita ut tota eorum salus in Parcis sit posita neque iam opus esse videatur reliquos deos curare, dummodo homines *Μοίραις* satisfaciant. Attamen v. 939 reliqui dii implorati iam sunt ab ipsis Diris (sic nomen *Ἐρινύων* vertere placet) vv. 938—939:

νεανίδων τ' ἐπηράτων
ἀνδροτυχεῖς βιότους δότε, κύρι' ἔχοντες,

et v. 952 *Ζεὺς* a Minerva victor *Ἐρινύων* evasisse dicitur:

ἀλλ' ἐκράτησε Ζεὺς ἀγοραῖος.

Ζεὺς igitur Erinyes vicit, i. e. ipsas *Μοίρας*. Postquam enim Erinyes in templo Apollinis consopitae sunt et Orestes ex eo evasit, pauloque post Erinyes ab Clytaemestrae idolo ex somno sunt excitatae, iratae deae hanc rem Apollini imputant, dicentes (v. 150):

νέος δὲ γραίας δαίμονας καθιππάσω·

quod idem tamen v. 172 sic exprimunt: *παλαιγενεῖς δὲ Μοίρας φθίσας*. Ad quem versum Scholiastes annotat: *ἡμᾶς, ὅσον ἐπὶ σοί*. Et recte quidem. Hoc enim loco Erinyes earumque sorores *Μοῖραι* eaedem deae esse videntur. Quod etiam si quis negare velit, tamen non facere poterit, quin concedat in versibus laudatis vim, Diris illatam, ipsis *Μοίραις* illatam dici. Simul ex hoc loco apparet *Μοίρας* non solum ab Iove sed etiam ab eius filio Apolline vinci. Nec mirum. Quamquam enim ab Diris honeratissimae deorum dicuntur, hoc summo honore minime dignae videntur, nam licet omnes res humanas gubernent, easque hanc ob rem vigilantissimas esse oporteat, v. 714 ipsae Erinyes Apollini concedunt *Μοίρας* ab eo deceptas esse, quo facto Pheretis filius e necessitate moriendi tum quidem extraheretur. Et quomodo deceptae sunt! Erinyes v. 714 *τὸ „πείθειν"* nominant:

Μοίρας ἔπεισας ἀφθίτους θεῖναι βροτούς,

v. 718 tamen fatentur sorores mente privatas fuisse vino:

οἴνῳ παρηπάτησας ἀρχαίας θεάς.

Μοῖραι igitur ebriae fuerunt. Unde, heu! quot quantaeque calamitates toti humano generi imminere potuissent, quippe quod ab his ebriis deabus regeretur. Nihilominus in *Prometheo* ipse Prometheus rursus ait *Μοίρας* gubernaculum necessitatis tenere 1). At non solum *Μοῖραι τρίμορφοι*, etiam *μνήμονες Ἐρινύες* hoc faciunt. (*Prom.* 517—522):

ΧΟ. τίς οὖν ἀνάγκης ἐστὶν οἰακοστρόφος;
ΠΡ. Μοῖραι τρίμορφοι μνήμονές τ' Ἐρινύες.
ΧΟ. τούτων ἄρα Ζεύς ἐστιν ἀσθενέστερος;
ΠΡ. οὔκουν ἂν ἐκφύγοι γε τὴν πεπρωμένην.
ΧΟ. τί γὰρ πέπρωται Ζηνὶ πλὴν ἀεὶ κρατεῖν;
ΠΡ. τοῦτ' οὐκ ἂν οὖν πύθοιο μηδὲ λιπάρει.

Itaque summa potestas iam inter *Μοίρας* et Erinyes partita est. Sed quomodo est intellegendum Erinyes gubernaculum necessitatis tenere? Itane ut constituant fatum? Hoc tamen nullo modo fieri potest. Putabit forte aliquis hanc Erinyum potestatem inde oriri, quod sint *Μοιρῶν* sorores, a quibus omnia quae velint, impetrare possint 2). Sed Aeschylum sic de diis cogitavisse quis, extra iocum, contenderit? Si autem poëta eo tempore, quo Prometheum scripsit, vere credidisset tres illas *Μοίρας*

---

1) Ex. vv. 892—894:

μήποτε μήποτέ μ', ὦ
...Μοῖραι, λεχέων Διὸς εὐνά-
τειραν ἴδοισθε πέλουσαν·

nihil de *Μοιρῶν* potestate colligi potest, quod unusquisque concedet, cui *προσωποποιίας* in Aeschyli fabulis usus satis est notus. Quamquam Blümner verbi quod est *ἴδοισθε* vim non diminuendam putat sed ultro ita corroborandam atque exaggerandam, ut scribere potuerit p. 120: „Die höhere Macht der Moiren (si cum Iovis potestate comparatur) zeigt sich auch darin, dass die Okeaniden, als sie Io's Irrsale vernehmen, jene Göttinnen anrufen, sie vor Zeus' Liebe zu *bewahren.*"

2) Vide rem Erinyum Cap. III tractatam.

supra Iovem esse, hac sententia ei tota hac tragoedia standum fuisset. At praeter v. 520 nullus locus reperitur, unde hanc promam sententiam. Immo ipse chorus his Promethei verbis repugnat, quippe qui plenus dubitationis respondeat: *τί γὰρ πέπρωται Ζηνὶ πλὴν ἀεὶ κρατεῖν,* quod eodem redit, ac si dixisset: *οὐδὲν πέπρωται Ζηνὶ πλὴν ἀεὶ κρατεῖν,* i. e.: non exstat fatum, quod Iove sit maius 1). Chorum autem id revera sentire etiam inde apparet, quod Prometheo hanc Iovis imbecillitatem urgenti respondet illo cantico, quod incipit his disertis verbis (vv. 528—529):

μηδάμ' ὁ πάντα νέμων
θεῖτ' ἐμᾷ γνώμᾳ κράτος ἀντίπαλον Ζεύς.

Eodem pertinent vv. 546—547 eiusdem cantici:

οὔποτε
τὰν Διὸς ἁρμονίαν θνατῶν παρεξίασι βουλαί,

ad quos Scholiasta annotat: *τὴν εἱμαρμένην,* cui igitur *Διὸς ἁρμονία* et *εἱμαρμένη* eodem redire videntur.

Et deus Oceanus cum choro facit, ubi dicit (v. 328):

. . . *οὐδ' ὑπεύθυνος κρατεῖ.*

Item *Κράτος,* dicens (v. 50):

ἐλεύθερος γὰρ οὔτις ἐστὶ πλὴν Διός.

Apparet igitur in *Prometheo* solum Prometheum *Μοίρας* supra Iovem ponere. Sed quis est ille Prometheus? Est deus, Iovi inimicissimus, quod gravibus poenis, iisque iustis, id quod quisque in hac tragoedia concedit, affectus est. Unde fit, ut haud semper vere loquatur, immo sibi ipse iterum atque iterum repugnet, cum modo invitus veritati serviat, modo ea tantum de Iove pronuntiet, quae vera esse vehementer cupiat. Hanc Promethei condicionem chorus etiam perspicit, quippe qui dicat (v. 927):

---

1) Mira etiam est ista chori interrogatio, quasi qui nihil de hac re sciret:
τίς οὖν ἀνάγκης ἐστὶν οἰακοστρόφος;
Haec igitur res non lippis et tonsoribus nota erat.

σύ θὴν ἃ χρήζεις, ταῦτ' ἐπιγλωσσᾷ Διός. 1)

Quid enim? Prometheus dicit se habere oraculum Iovem aliquando imperio caelesti privatum iri. Quod oraculum multis locis commemorat 2). Quomodo hoc autem futurum sit, dicere non vult, nam hoc celando tandem liberabitur (vv. 524—527):

ἄλλου λόγου μέμνησθε, τόνδε δ' οὐδαμῶς
καιρὸς γεγωνεῖν, ἀλλὰ συγκαλυπτέος
ὅσον μάλιστα· τόνδε γὰρ σῴζων ἐγὼ
δεσμοὺς ἀεικεῖς καὶ δύας ἐκφυγγάνω.

Attamen vv. 760—766 hoc ipso oraculo enarrando Iovi summam cavendi potestatem facit. Io enim rogante (v. 759):

πρὸς τοῦ τύραννα σκῆπτρα συληθήσεται;

hoc nascitur colloquium:

ΠΡ. πρὸς αὐτὸς αὑτοῦ κενοφρόνων βουλευμάτων.
ΙΩ. ποίῳ τρόπῳ; σήμηνον, εἰ μή τις βλάβη.
ΠΡ. γαμεῖ γάμον τοιοῦτον, ᾧ ποτ' ἀσχαλᾷ.
ΙΩ. θέορτον, ἢ βρότειον; εἰ ῥητόν, φράσον.
ΠΡ. τί δ' ὅντιν'; οὐ γὰρ ῥητὸν αὐδᾶσθαι τόδε.
ΙΩ. ἦ πρὸς δάμαρτος ἐξανίσταται θρόνων;
ΠΡ. ἢ τέξεταί γε παῖδα φέρτερον πατρός.

Iam communicavit igitur Prometheus cum Io et cum choro totum oraculum: *Ζεὺς* aliquando matrimonium inibit exque eo matrimonio filius nascetur patre fortior, a quo *Ζεὺς* regno spoliabitur. Quae illa dea aut mulier sit, quis hic filius, Prometheus pulchre novit, nec tamen dicere vult (vv. 763—764, 524—527).

Sed quamquam totum oraculum et omnes eius partes novit idque oraculum tali modo enarratur, quasi nihil esset certius quam huius oraculi eventus, nunquam tamen

---

1) Cfr. Caes. de b. Gall. III, 18, 6 „. . . . fere libenter homines id, quod volunt, credunt." Et Ovid. Metam. I, 491 (de Apolline dicitur): „Quaeque cupit, sperat: suaque illum oracula fallunt.

2) Vv. 169—180; 190—195; 750—766; 906—911; 914—926; 928—930 939; 957—958; 994—995.

quicquam harum rerum eveniet, nam *Ζεύς* aliquando humilis fiet (v. 906—907):

> *ἦ μὴν ἔτι Ζεύς, καίπερ αὐθάδη φρονῶν,*
> *ἔσται ταπεινός,*

et ipse Prometheus eius servandi potestatem habebit (v. 912—913):

> *τοιῶνδε μόχθων ἐκτροπὴν οὐδεὶς θεῶν*
> *δύναιτ' ἂν αὐτῷ πλὴν ἐμοῦ δεῖξαι σαφῶς,*

quod etiam faciet, postquam ipse a quodam Iovis filio ex Ius genere orto sit liberatus (v. 767—772):

> *ΙΩ.* *οὐδ' ἔστιν αὐτῷ τῆσδ' ἀποστροφὴ τύχης;*
> *ΠΡ.* *οὐ δῆτα, πλὴν ἔγωγ' ἂν ἐκ δεσμῶν λυθείς.*
> *ΙΩ.* *τίς οὖν ὁ λύσων ἐστὶν ἄκοντος Διός;*
> *ΠΡ.* *τῶν σῶν τιν' αὐτὸν ἐκγόνων εἶναι χρεών.*
> *ΙΩ.* *πῶς εἶπας; ἦ 'μὸς παῖς σ' ἀπαλλάξει κακῶν;*
> *ΠΡ.* *τρίτος γε γένναν πρὸς δέκ' ἄλλαισιν γοναῖς.*

Sed etiam Prometheus ait se omnia futura praenosse (v. 101—103):

> *καίτοι τί φημί; πάντα προὐξεπίσταμαι*
> *σκεθρῶς τὰ μέλλοντ', οὐδέ μοι ποταίνιον*
> *πῆμ' οὐδὲν ἥξει,*

et tamen non suspicatus erat se tam vehementer excruciatum iri (v. 271—273):

> *οὐ μήν τι ποιναῖς γ' ᾠόμην τοίαισί με*
> *κατισχνανεῖσθαι πρὸς πέτραις πεδαρσίοις,*
> *τυχόντ' ἐρήμου τοῦδ' ἀγείτονος πάγου.*

Aliis locis dicit se nihil et neminem metuere. e. gr. v. 932:

> *τί δ' ἂν φοβοίμην ᾧ θανεῖν οὐ μόρσιμον;*

et v. 937:

> *ἐμοὶ δ' ἔλασσον Ζηνὸς ἢ μηδὲν μέλει,*

item vv. 958—960:

> *μή τί σοι δοκῶ*
> *ταρβεῖν ὑποπτήσσειν τε τοὺς νέους θεούς;*
> *πολλοῦ γε καὶ τοῦ παντὸς ἐλλείπω,*

et passim, sed nihilominus, cum aliquem audit fremitum, exclamat (v. 127):

πᾶν μοι φοβερὸν τὸ προσέρπον,

ita ut chorus eum placare debeat his verbis: *μηδὲν φοβηθῇς.*

Vv. 513—515 denique Prometheus dicit *Μοίρας* (et Erinyes) velle ipsum innumeris fractum doloribus vincula tandem effugere:

οὐ ταῦτα ταύτῃ μοῖρά πω τελεσφόρος
κρᾶναι πέπρωται, μυρίαις δὲ πημοναῖς
δύαις τε καμφθεὶς ὧδε δέσμα φυγγάνω·

Sed v. 261 huic loco repugnat, cum ibi choro roganti (v. 260):

οὐδ' ἔστιν ἆθλον τέρμα σοι προκείμενον;

respondeat:

οὐκ ἄλλο γ' οὐδέν, πλὴν ὅταν κείνῳ 1) *δοκῇ.*

Nunc etiam demonstrabitur, quam vehementer Prometheus v. 518, verbis ludat, dicens: *μνήμονές τ' Ἐρινύες* (scil. *ἀνάγκης εἰσὶν οἰακοστρόφοι*), quo respondeam quaestioni, quam supra de his deabus movi. Vv. 906—911 legitur:

ΠΡ. ἦ μὴν ἔτι Ζεύς, καίπερ αὐθάδη φρονῶν,
ἔσται ταπεινός, οἷον ἐξαρτύεται
γάμον γαμεῖν, ὅς αὐτὸν ἐκ τυραννίδος
θρόνων [τ'] *ἄιστον ἐκβαλεῖ· πατρὸς δ' ἀρά*
Κρόνου τότ' ἤδη παντελῶς κρανθήσεται,
ἣν ἐκπίτνων ἠρᾶτο δηναιῶν θρόνων.

Hic igitur de *Κρόνου* patris *ἀρᾷ* sermo est. Sed *πατρὸς ἀρά* apud Aeschylum plane idem est ac *πατρὸς Ἐρινύς*, sicuti sub terra *Ἐρινύες Ἀραὶ* appellantur. 2) Et licet *Κρόνος* ipse intereat, *Ἀρά* vel *Ἐρινύς* eius interire non potest, sed semper memor est Iovis impietatis, cuius poenam ali-

---

1) Iovi scil.

2) *Eum.* 413:

Ἀραὶ δ' ἐν οἴκοις γῆς ὑπαὶ κεκλήμεθα.

Haec duo nomina coniuncta sunt *Sept.* 70:

Ἀρά τ' Ἐρινὺς πατρὸς ἡ μεγασθενής, i. e.: *καὶ σύ, Ἀρὰ Ἐρινὺς πατρός.*

quando ab Iove repetet. Inde illud *μνήμονες.* 1) Cum igitur imprecatio *Κρόνου* Iovis sortem quodammodo definire debeat, eatenus dici possit eam *ἀνάγκης οἰακοστρόφον* esse, sed revera ipsa est pars *τῆς ἀνάγκης*, quam *Μοῖραι* gubernant 2). Sed ne sic quidem *Μοιρῶν* potestas integra evadit, nam Prometheus vim illius *ἀρᾶς*, i. e. *Μοιρῶν*, tollere potest, ut ipse dicit vv. 912—913 et 767—768 (vide hos versus p. 56 laudatos). Quodsi modo *Ζεὺς* (v. 261), modo Prometheus *τὴν μοῖραν* ad arbitrium mutare potest, quae tandem eius vis manet aut quam vim Promethei verbis (v. 518) tribuendam esse putabimus?

Non est igitur cur putemus *Μοῖραν* vel *Μοίρας* supra Iovem esse, hunc autem earum ministrum. Unum tamen non negamus. Supra (p. 51) iam monuimus in *Eumenidibus* et *Prometheo* rem non tam inter homines agi quam inter deos. Praeterea in utraque hac tragoedia priorum deorum mentio fit, quodque et in *Eumenidibus* et in *Prometheo* dii Olympici *νέοι θεοὶ* appellantur, eodem pertinet. Qui antiqui dii, si de rebus humanis sermo est, deleti perhibentur 3), quasi Aeschylus dicere vellet: quod ad homines, non antiquior deus est neque fuit quam *Ζεύς*, sed si res humanas paulisper missas faciamus et de solo numine divino cogitare incipiamus, videtur olim tempus fuisse, cum ipse *Ζεὺς* nondum exstaret, ita ut ea, quae ante Iovem fuerunt, haud quaquam ex eius potestate penderent. Omnia igitur ea, quae

1) Vide Klausen, Theol. Aeschyli trag., p. 41.

2) Nisi fortasse haec *ἀρὰ* vel *Ἐρινὺς* patris Iovis unum ex Promethei mendaciis est, quo concesso etiam illud *μνήμονες τ' Ἐρινύες* mera et inania verba sunt. *Ἐρινύες* enim ipsae dicunt *Eum.* 339—340: *γιγνομέναισι λάχη τάδε ἐφ' ἇμιν ἐκράνθη, ἀθανάτων δ' ἀπέχειν χέρας.*

3) Vide *Agam.* 156—160, ad quos versus Wecklein annotat: „Der Dichter deutet damit wohl an, dass der Mythus von Uranus ziemlich verblasst und verschollen war." — Item chorus in *Prom.* v. 152 dicit:

τὰ πρὶν δὲ πελώρια νῦν ἀιστοῖ.

Iovem antecesserunt atque effecerunt, ut Iuppiter nasceretur et talis quidem tantusque, qualis et quantus esse videatur, haud absurdum fuerit Iovis μοῖραν appellari. —

Sic intellegitur, cur non magis quam iis locis, ubi res est cum hominibus, neque μοῖραι deae appellantur, in *Eum.* et *Prom.*, ubi Μοῖραι deae sunt et ab ipso Prometheo tres numero esse dicuntur, pluralis numerus quicquam momenti habeat. Erinyes enim ipsae, quae vv. 940—946 (v. p. 50) illud carmen laudis plenum de sororibus canunt, v. 329 suum munus non ab Μοίραις sed Μοίρᾳ accepisse dicunt, atque Aeschylum hoc consulto fecisse, etiam id, quod sequitur, argumento est. Unaquaeque enim τῶν Μοιρῶν in mythis Graecis suum habebat nomen, quae nomina tamen apud Aeschylum nusquam inveniuntur, nisi quod ad ea allusisse videtur poëta hoc eodem loco, cuius supra mentio fiebat. Μοῖραι enim vulgo vocabantur Κλωθώ, Λάχεσις, Ἄτροπος, loco autem laudato (vv. 328—329) legitur:

τοῦτο γὰρ λάχος διανταία
Μοῖρ' ἐπέκλωσεν ἐμπέδως ἔχειν . . .

Unusquisque statim λάχος referet ad Λάχεσιν, ἐπέκλωσεν ad Κλωθώ, διανταία ad Ἄτροπον. 1) Nam deae Lachesis proprium erat τὸ λάχος vel λάχη δοῦναι, Clothus τὸ ἐπικλώθειν, Atropi τὸ μὴ τρεφθῆναι sed διανταίαν ἐλθεῖν ad propositum. At voces quae sunt λάχος, διανταία, ἐπέκλωσεν, ad tria illa nomina, vel potius ad illas tres deas pertinentes, hoc loco ad unicam Μοῖραν referuntur, quo manifestum est Aeschylum has tres deas in unam μοῖραν redigere conatum esse. 2)

1) Quamquam hae duae voces (διανταία et Ἄτροπος) solum significationis, non soni respectu habito inter se cohaerent. Vide Passovium sub voce διανταῖος.

2) Quam difficile fuerit Aeschylo, μοίρας notionem per se concipere separatam ab deo vel diis, etiam ex eo apparet, quod Erinyes, quae hoc loco, (*Eum.* 329) Μοῖραν auctorem appellant, *Eum.* 388—389 se suum munus

Omnes reliquos locos ex *Eumenidibus* et *Prometheo* percurri non necesse videtur, cum nullus eorum quicquam novi afferat. Quamobrem sufficiat eos enumerari: *Eum.* 215: *μόρσιμος εὐνή*; v. 472: *αὗται* (*αἱ Ἐρινύες* scil.) *δ' ἔχουσι μοῖραν οὐκ εὐπέμπελον*; v. 1021—1022: *Ζεὺς ὁ πανόπτας οὕτω Μοῖρά τε συγκατέβα* (*Ζεὺς Μοῖρά τε* poëtice dictum est idemque significat quod *Διὸς* vel *Διόθεν μοῖρα* (v. p. 30). — *Prom.* 103—105: *τὴν πεπρωμένην δὲ χρὴ αἶσαν φέρειν ὡς ῥᾷστα, γιγνώσκονθ' ὅτι τῆς ἀνάγκης ἔστ' ἀδήριτον σθένος*; v. 295—296: *χωρίς τε γένους οὐκ ἔστιν ὅτῳ μείζονα μοῖραν νείμαιμ' ἢ σοί* (his verbis Oceanus alloquitur Prometheum); v. 630: *μοῖραν ἡδονῆς*; v. 692: *ἰὼ ἰὼ μοῖρα μοῖρα*; v. 750: .. *ἔστιν οὐ πεπρωμένον*; 813: *πέπρωται.*

Omnibus igitur de fato locis pertractatis restat, ut paucis verbis comprehendam, quae iis locis de fato inveni. In omnibus Aeschyli fabulis, exceptis *Eumenidibus* et *Prometheo*, *Ζεὺς* summus deus est, neque invenitur quicquam, quod fatum deam appellare aut supra Iovem ponere nos cogat.

In *Eumenidibus* tamen et *Prometheo* *Μοῖραι* sunt deae, et eaedem quidem, quae ubique in mythis Graecorum nobis occurrunt.

In *Eumenidibus* vero nusquam supra Iovem ponuntur, et eo ipso loco, quo summa laude a Diris afficiuntur, versibus 940—946 dico (v. p. 51), nihil est, quod nos impediat, quominus eas ex *προσωποποιίας* usu explicemus, cum eadem verba e. gr. de *Δίκῃ* dici possint, cumque ipsae Erinyes, quae ea pronuntiant, quaeque per totam tragoediam, cui earum nomen inscribitur, tanquam verae deae tractantur, nihil nisi vehiculum sint, quo poëta ad suas cogitationes prodendas utitur. Quae de Diris

---

ab diis accepisse dicunt et vv. 349—353 se id munus libenter accepisse, ut Iovem eo liberarent. Itaque etiam v. 329 *Μοῖρα* videtur deorum vel Iovis fatum esse.

opinio eo corroboratur, quod Erinyes etiam unam *Μοῖραν* appellant (*Eum.* 329), quam Aeschylus tribus illis muneribus cumulavit (vv. 328—329), quae singula inter singulas *Μοίρας* distribui solent.

In *Prometheo* denique *Μοῖραι* semel supra Iovem ponuntur, sed a Prometheo, qui I° huic suae ipsius opinioni repugnat (*Prom.* 261); II° eundem principatum Diris attribuit, quo tamen iure, omnes iam vident; III° extrema ira odioque agitatus ea dicit, quae vera esse vehementer gestiat. Quo accedit, quod chorus, Oceanus, *Κράτος* contrariam habent opinionem.

Tum solum, ubi Aeschylus de ratione cogitat, quae inter Iovem et antiquiores deos, i. e. imagines eius temporis, cum *Ζεὺς* nondum esset, intercedit, Iovi suum proprium fatum tribuere videtur cum tamen de Iovis in homines imperio sermo est, Aeschylus non novit fatum nisi id, quod ab Iove proficiscitur 1). Itaque Aeschylo summus deus erat *Ζεύς*.

1) Non igitur assentior argutiis Klausenii de *Μοίρας* significatione p. 36—41. Dicit p. 38—39: „Parcarum munus est duplex, utrumque e prima et ipsa earum natura profectum. Tum assignant naturam, tum assignatam servant, ne quis eam abjiciat. Custodiunt igitur deos ut maneant dii, homines ut maneant homines, Apollinem, ne fiat Iupiter (!), ne fiat inferus neve fiat imbecillior, neve potentior, quam quod ipsa eius natura divina constitutum est. Custodiunt etiam Iovem, ne eius potentia infringatur, quia ea Iovis natura constituta est, ut sit potentissimus.... Minime vero propterea Iove sunt potentiores, nisi forte regii corporis custodes ipso rege esse potentiores contendere vis." Quam vehementer haec comparatio claudicet, quisque videt, nam rex tales custodes sibi ipse constituit, at Iuppiter illas *Μοίρας* Klausenianas non constituit, rex ille suos custodes amovere potest, simulac vult, Iuppiter *Μοίρας* non potest. Si Klausen deinde disputat *Μοίρας* sic acceptas meras cogitationes vel ideas esse, easque eodem iure filias Iovis appellari posse (p. 40 in annotatione 54: „Finge tibi cum Pindaro numina Veritatem, Pudorem, *Εὐθυμίαν*, Legem, Iustitiam: has omnes eatenus Iove superiores dicere poteris, quatenus eam, quam quaeque significat, virtutem Iovi tribuisse cogitantur. Easdem vero eodem iure Iovis filias dicere potes. Nihil maius Aeschylo sunt Parcae."), nihil nisi lusus verborum, Aeschylo indignus, relinquitur.

CAPUT III.

DE ERINYUM IN AESCHYLI FABULIS SIGNIFICATIONE.

Τίνες ποτ' ἐστέ; Hisce verbis Minerva alloquitur *Eum.* 404 Erinyes, quae respondent v. 411:

πεύσῃ τὰ πάντα συντόμως, Διὸς κόρη.

At postquam *τὰ πάντα* cum Minerva communicaverunt, nos non possumus facere, quin iterum rogemus: *τίνες ποτ' ἐστέ;* En totus locus (vv. 411—419):

ΧΟ. *πεύσῃ τὰ πάντα συντόμως, Διὸς κόρη.*
ἡμεῖς γάρ ἐσμεν Νυκτὸς αἰανῆ τέκνα.
Ἀραὶ δ' ἐν οἴκοις γῆς ὕπαὶ κεκλήμεθα.
ΑΘ. *γένος μὲν οἶδα κληδόνας τ' ἐπωνύμους.*
ΧΟ. *τιμάς γε μὲν δὴ τὰς ἐμὰς πεύσῃ τάχα.*
ΑΘ. *μάθοιμ' ἄν, εἰ λέγοι τις ἐμφανῆ λόγον.*
ΧΟ. *βροτοκτονοῦντας ἐκ δόμων ἐλαύνομεν.*
ΑΘ. *καὶ τῷ κτανόντι ποῦ τὸ τέρμα τῆς φυγῆς;*
ΧΟ. *ὅπου τὸ χαίρειν μηδαμοῦ νομίζεται.*

Sunt igitur filiae Noctis, habitant sub terra, ubi *Ἀραὶ* vocantur, homicidas autem domo expellunt et insequuntur usque eo, ubi omnis delectatio abesse solet. Sed haec I° minime sufficiunt, unde eas totas cognoscamus, II° repugnare videntur aliis illarum sententiis.

Quod dixi non sufficere id, quod Erinyes loco supra laudato de se ipsae praedicent, hoc iam ex eo apparet, quod alia aliis locis de iis leguntur, quorum non minus erit habenda ratio. Sed multo res fit difficilior eo, quod hi varii loci non parum inter se discrepare videntur, quae

tamen ipsa discrepantia in poëtae de Diris sententia exploranda fortasse non parvo erit adminiculo. Sed videamus, quales in Aeschyli fabulis Erinyes describantur.

Filiae igitur sunt Noctis et *Μοιρῶν* sorores (*ματροκασιγνῆται* *Eum.* 941) 1). Habitant in tenebris, 2) sub terra, 3) ubi *Ἀραὶ* vocantur 4). Cum quo subterraneo earum domicilio congruit, quod atrae sunt 5) et atra veste amictae 6), quodque deos nunquam conveniunt 7) ita ut ipsi Minervae, sapientissimae deorum, sint ignotae 8). Maiores natu porro sunt quam dii Olympici, nam illae *γεραίτεραι* appellantur, hi *νεώτεροι*. 9) Qui earum sit numerus, non patet, attamen ipsae dicunt se multas esse *Eum.* 575: *πολλαὶ μέν ἐσμεν*. De earum figura atque habitu vero multa apud Aeschylum inveniuntur. Quarum aspectus ita varie sacerdotem Apollinis afficiebat, ut haec eas primum mulieres appellaret 10): *θαυμαστὸς λόγος . . . γυναικῶν* (*Eum.* 46—47), deinde hoc nomine reiecto eas Gorgones diceret (v. 48): *οὔτοι γυναῖκας, ἀλλὰ Γοργόνας λέγω*, quod nomen tamen rursus refellit (v. 49): *οὐδ' αὖτε Γοργείοισιν εἰκάσω τύποις*, quocirca iam eas ipsas describere conatur. Sunt igitur atrae, horribiles visu, prae pestifero halitu nemo eis appropinquare potest, ex oculis autem sanguis destillat. 11) Difficultatem eas recte describendi Apollo etiam indicat his verbis (*Eum.* 67—70):

---

1) Patrem Erinyes non habuerunt.

2) *Eum.* 72, 382, 392.

3) *Eum.* 72, 115, 391, 413, 834.

4) *Eum.* 413.

5) *Sept.* 957. *Agam.* 442, *Eum.* 52.

6) *Choëph.* 1046, *Eum.* 55—56, 342, 361. Addi possit ipsas atras esse, cum earum mater sit atra (*Eum.* 735: *ὦ Νὺξ μέλαινα μῆτερ*).

7) *Eum.* 340, 382, 407.

8) *Eum.* 404.

9) *Eum.* 150, 162, 721.

10) Item Orestes *Choëph.* 1045.

11) *Eum.* 51—54. Vide *Choëph.* 1055.

καὶ νῦν ἁλούσας τάσδε τὰς μάργους ὁρᾷς·
ὕπνῳ πεσοῦσαι δ' αἱ κατάπτυστοι κόραι,
γραῖαι παλαιαὶ παῖδες, αἷς οὐ μίγνυται
θεῶν τις οὐδ' ἄνθρωπος οὐδὲ θήρ ποτε.

Nec non Minerva dicens (v. 406—408):

ὑμᾶς θ' ὁμοίας οὐδενὶ σπαρτῶν γένει,
οὔτ' ἐν θεαῖσι πρὸς θεῶν ὁρωμένας
οὔτ' οὖν βροτείοις ἐμφερεῖς μορφώμασιν.

Itemque prosequentium caterva verbis: *Νυκτὸς παῖδες ἄπαιδες* (*Eum.* 1011).

Eodem redit, quod ab Oresta et Clytaemestra *κύνες* vocantur 1), quodque Apollo eas his verbis compellat (*Eum.* 634): *ὦ παντομισῆ κνώδαλα, στύγη θεῶν,* quibus variis nominibus quomodo illud *σεμναί* (vv. 379, 1017) consentiat, quisque videt.

Iam videamus quas *τιμὰς* habeant Erinyes. Ipsae dicunt *Eum.* 339—340:

γιγνομέναισι λάχη τάδε ἐφ' ἇμιν ἐκράνθη,
ἀθανάτων δ' ἀπέχειν χέρας.

Quas igitur habent *τιμάς*, habent inde a primo ortu, sed in homines solos has *τιμὰς* exercere iis licet, non in deos. 2) A quo tamen hoc munus acceperint, non liquet. Nam *Ζεὺς* quidem, postquam rex deorum factus est, honores inter deos distribuit, Erinyes tamen, quae sunt *παλαιαὶ θεαί*, iam ab ortu suum habent munus, quo accedit, quod Prometheus dicit eas una cum Parcis gubernaculum necessitatis tenere, qua *Ζεὺς* ipse sit inferior (qui hoc intellegendum sit, vide p. 56—58). Erinyes igitur suos honores ab Iove habere non possunt. Quid igitur? *Μοίρας* hic afferet aliquis. Sed *Μοῖραι* sunt sorores Erinyum. Unde hae tres sorores tantam in eas potestatem habeant? Videtur autem ex *Eum.* 349—353 effici posse, Erinyes

---

1) *Choëph.* 917—918, 1051.

2) Vide etiam *Eum.* 382: *λάχη θεῶν διχοστατοῦντα.* Et ibid. v. 306: *λέξαι τε λάχη τὰ κατ' ἀνθρώπους.*

hanc ob rem homicidas persequi, quod *Ζεὺς* hoc odiosum genus hominum compellatione sua non dignum iudicaverit (*Eum.* 349—353):

σπεύδομεν αἵδ' ἀφελεῖν τινὰ τάσδε μερίμνας,
θεῶν δ' ἀτέλειαν ἐμαῖσι λιταῖς ἐπικραίνειν.
μηδ' εἰς ἄγκρισιν ἐλθεῖν·
Ζεὺς γὰρ αἱματοσταγὲς ἀξιόμισον ἔθνος τόδε λέσχας
ἇς ἀπηξιώσατο,

et v. 388 dicunt Erinyes suum munus a diis sibi datum esse (v. 385—389):

τίς οὖν τάδ' οὐχ ἅζεταί
τε καὶ δέδοικεν βροτῶν,
ἐμοῦ κλύων θεσμὸν
τὸν μοιρόκραντον ἐκ θεῶν
δοθέντα τέλεον;

quod iussu etiam deorum exercere videntur, nam *Sept.* 682—684 chorus dicit Erinyes domos non intrare si diis sacra fiant ab hominibus:

μελάναιγις οὐκ
εἶσι δόμων 'Ερινύς, ὅταν ἐκ χερῶν
θεοὶ θυσίαν δέχωνται.

Agam. 55—59 denique aut Apollo aut Pan aut *Ζεὺς* dicitur Erinyn mittere iis, qui in avibus peccaverunt:

ὕπατος δ' αἴων ἤ τις Ἀπόλλων
ἢ Πὰν ἢ Ζεὺς οἰωνόθροον
γόον ὀξυβόαν
τῶνδε μετοίκων ὑστερόποινον
πέμπει παραβᾶσιν 'Ερινύν,

et ipse Apollo *Choëph.* 275 Orestae *προσβολὰς 'Ερινύων* minatur, nisi patrem ulciscatur. 1) Quae omnia verbis Promethei, si haec significant, quod primo obtutu significare videntur, repugnant.

Supra autem iam apparuit Erinyes suum munus, quod inde a primo ortu habuerunt, non in deos sed in homines

1) v. 265: *εἰ μὴ μέτειμι τοῦ πατρὸς τοὺς αἰτίους.*

solos exercere. At Erinyes prius natae videntur quam homines. Hi porro a prima sui generis origine usque ad furtum Promethei, quod hic deus Iove iam regnante commisit, rationis expertes ut bruta animalia vixerunt, ita ut neque quodquam facinus iis per illud tempus imputari, neque, si imputaretur Erinyesque ab iis poenam repeterent, huius poenae homines quemquam sensum habere potuissent. Itaque Erinyes per longum tempus, per multa fortasse saecula vitam summo otio degere coactae fuerunt! Quae igitur repugnantia in Erinyum aspectu cernitur, eadem iteratur una ex parte ea ratione, quae inter ipsas et deos, altera ex parte ea, quae inter illas et homines intercedit.

Quae repugnantia redit in verbis, quibus munus suum describunt. Nam *Eum.* 208 paucis sed disertis verbis dicunt se matricidas domibus expellere:

τοὺς μητραλοίας ἐκ δόμων ἐλαύνομεν.

Et sane est matricida Orestes. Nec tamen ex hoc loco effici posset Erinyes non alias nisi matricidas persequi, nisi hoc pateret ex eo, quod Erinyes Apollini roganti, quidnam de muliere, quae maritum e medio sustulerit, facturae sint (*Eum.* 209):

τί γὰρ γυναικὸς ἥτις ἄνδρα νοσφίσῃ;

respondent (v. 210):

οὐκ ἂν γένοιθ' ὅμαιμος αὐθέντης φόνος,

i. e. virum eiusque uxorem non esse consanguineos, neque igitur sibi hanc caedem ulciscendam esse. In eandem sententiam respondent Orestae, postquam eas rogavit, cur illam (Clytaemestram scil.), quoad viveret, non in exsilium expulerint (*Eum.* 594):

τί δ' οὐκ ἐκείνην ζῶσαν ἤλαυνες φυγῇ;

Dicunt enim (v. 595):

οὐκ ἦν ὅμαιμος φωτὸς ὃν κατέκτανεν,

i. e. non erat consanguinea viri, quem occidit. Non igitur omne caedis genus vindicare videntur, sed parricidia

tantum. Attamen non ubique parricidium nominatur. *Eum.* 343—345 enim Erinyes dicunt:

> δωμάτων γὰρ εἱλόμαν
> ἀνατροπάς, ὅταν Ἄρης
> τιθασὸς ὢν φίλον ἕλῃ.

Hoc loco iam non sermo est de consanguineis sed de amicis, vel potius de iis, qui quocunque caritatis vinculo inter se sunt iuncti, ita ut consanguinei non quidem excludantur, sed tamen de amicis quoque cogitari possit. Etiam latius patet, quod Erinyes dicunt *Eum.* 417:

> βροτοκτονοῦντας ἐκ δόμων ἐλαύνομεν,

i. e. homicidas (non solum igitur parricidas) domibus expellimus. Item quod legitur *Eum.* 312—316:

> ὅστις δ' ἀλιτὼν ὥσπερ ὅδ' ἀνὴρ
> χεῖρας φονίας ἐπικρύπτει,
> μάρτυρες ὀρθαὶ τοῖσι θανοῦσιν
> παραγιγνόμεναι πράκτορες αἵματος
> αὐτῷ τελέως ἐφάνημεν.

His tamen omnibus locis de homicidio sermo fuit, unde parricidium non ita procul abest. Sed res plane alia fit, si legimus, quod chorus *Agam.* 442—445 canit:

> κελαι-
> ναὶ δ' Ἐρινύες χρόνῳ
> τυχηρὸν ὄντα ἄνευ δίκας παλιντυχεῖ
> τριβᾷ βίου τιθεῖσ' ἀμαυρόν.

Qui igitur praeter fas felix est, hunc etiam Erinyes vita privant. Hic non amplius de caede cogitatur. Vel etiam iis, qui avium nidum pullis privant, deus quis, sive Apollo, sive Pan, sive Ζεύς immittit Erinyn, quae scelus ulciscatur (*Agam.* 55—59, quos versus vide laudatos p. 65.)

Itaque tota Erinyum natura controversiarum et aenigmatum plena videtur. Quibus postquam unam repugnantiam addiderimus, res iam in eo erit, ut has repugnantias solvere conemur, ad quas solvendas illud ipsum, quod postremum addere mihi in animo est, ansam praebebit. In *Eumenidibus* enim Erinyes tanquam verae deae indu-

cuntur (quamquam earum aspectus totaque ratio minime deabus est digna). Itaque ab hominibus cerni possunt, neque solus Orestes eas videt, sed etiam Pythias (*Eum.* 34—59), iudices Areopagi (nam Erinyes cum iis colloquuntur, e. gr. v. 633; 701—702), prosequentium caterva (ab v. 1010 usque ad finem). At in fine *Choëphoron* nemini praeter Orestam apparent, ita ut chorus ne credat quidem eas adesse. Schoeman de hac re dixit: 1) „Die Erinyen steigen aus der Unterwelt, jetzt nur noch ihm (Orestae scil.) allein sichtbar, und treiben ihn hinweg von der blutbefleckten Stätte.“ Qui tamen fiat, ut Erinyes primum soli Orestae appareant, postea omnibus, qui adsunt, hanc rem silentio praeteriit. Sed propius ad ea, quae a choro et Oresta dicuntur, accedamus. Postquam Orestes matrem occidit, sentit se furore agitari suumque cor palpitare metu (*Choëph.* 1020—1022):

φέρουσι γὰρ νικώμενον
φρένες δύσαρκτοι· πρὸς δὲ καρδίᾳ φόβος
ᾄδειν ἕτοιμος ἠδ' ὑπορχεῖσθαι κότῳ. 2)

Festinat igitur dicere, dum mentis est compos, se cum summo iure tum iussu Apollinis hanc caedem commisisse, nunc autem in huius dei templo expiationem sui facinoris quaerere velle (1023—1030):

ἕως δ' ἔτ' ἔμφρων εἰμί, κηρύσσω φίλοις,
κτανεῖν τε φημὶ μητέρ' οὐκ ἄνευ δίκης,
πατροκτόνον μίασμα καὶ θεῶν στύγος,
καὶ φίλτρα τόλμης τῆσδε πλειστηρίζομαι
τὸν πυθόμαντιν Λοξίαν, χρήσαντ' ἐμοὶ
πράξαντι μὲν ταύτ' ἐκτὸς αἰτίας κακῆς
εἶναι, παρέντα δ' οὐκ ἐρῶ τὴν ζημίαν·
τόξῳ γὰρ οὔτις πημάτων προσίξεται.

Chorus angorem animi eius mitigantibus verbis tollere conatur, sed Orestes iam videt illas horribilis mulieres,

1) Des Aeschylos Eumeniden, Einl. p. 5.

2) Melius fortasse *κρότῳ* (ex emendatione Abreschi, quam Wecklein recepit).

quarum aspectum sustinere non potest (vv. 1044—1047):

ᾶ ᾶ,
δμῳαὶ γυναῖκες, αἵδε Γοργόνων δίκην
φαιοχίτωνες καὶ πεπλεκτανημέναι
πυκνοῖς δράκουσιν· οὐκέτ' ἂν μείναιμ' ἐγώ.

Chorus tamen putat terrorem animi has imagines fingere, quapropter rogat, quaenam cogitationes eum sollicitent (vv. 1048—1049):

τίνες σε δόξαι, φίλτατ' ἀνθρώπων πατρί,
στροβοῦσι; ἴσχε, μὴ φοβοῦ νικῶν πολύ.

Ad quod Orestes respondet eas non vanas mentis imagines, sed sine dubio iratas matris canes esse (vv. 1450—1451):

οὐκ εἰσὶ δόξαι τῶνδε πημάτων ἐμοί·
σαφῶς γὰρ αἵδε μητρὸς ἔγκοτοι κύνες.

Nihilominus chorus in sua sententia perseverat, nam dicit Orestis mentem eo sanguine, quo adhuc eius manus inquinatae sint, turbari (vv. 1052—1053):

ποταίνιον γὰρ αἷμά σοι χεροῖν ἔτι·
ἐκ τῶνδέ τοι ταραγμὸς ἐς φρένας πίτνει.

At Erinyes interea magis magisque instant, ita ut Orestes eis diutius resistere non possit, sed fugae se mandat, postquam concessit, quamquam ipsae Erinyes adsint, se tamen solum eas videre (v. 1058):

ὑμεῖς μὲν οὐχ ὁρᾶτε τάσδ', ἐγὼ δ' ὁρῶ.

Chorus igitur minime credit revera deas esse, quae Orestam sollicitant, sed idem sentit, quod Cicero, cum dixit: 1) „*Videtisne, quos nobis poëtae tradiderunt patris*

---

1) pro Roscio Amerino, c. 24. Minime igitur assentior Chantepie de la Saussaye, dicenti (Religionsgeschichte, Freiburg i. B. 1889, II, 174): „Es ist ganz verfehlt, wenn man die objective Macht der göttlichen Strafe, die Erinys, verflüchtigt zu einer Personification des strafenden Gewissens: eine moderne, freilich schon euripideische Auffassung, die dem Aeschyl ganz fremd ist." Neque enim haec opinio recens est, ut ipse indicat atque ex Ciceronis verbis efficitur, neque Aeschylo ignota, cum chorus contra dementis Orestis verba poëtae exprimat mentem et eandem quidem, quam Chantepie de la S. Aeschylo abrogat.

ulciscendi causa supplicium de matre sumpsisse, cum praesertim deorum immortalium iussis atque oraculis id fecisse dicantur, tamen ut eos agitent furiae, neque consistere usquam patiantur, quod ne pii quidem sine scelère esse potuerunt? Sic se res habet, iudices. Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis: ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum usque eo permanat ad animum, ut summus furor atque amentia consequatur. Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis saepenumero videtis, eos qui aliquid impie scelerateque commiserint, agitari et perterreri Furiarum taedis ardentibus. Sua quemque fraus et suus terror maxime vexat; suum quemque scelus agitat amentiaque afficit; suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent. Hae sunt impiis assiduae domesticaeque Furiae, quae dies noctisque parentum poenas a consceleratissimis filiis repetant."

Hanc igitur chori opinionem dico etiam Aeschyli esse, 1) non quod chorus *semper* mentem poëtae exprimat, ut vult Herwig, 2) sed quia sic saepissime res se habet et praecipue iis locis, ubi chorus placida mente aliquam profert sententiam sententiae alicuius personae mente vehementer agitatae contrariam; quoaccedit, quod et aliae res nos hanc de Erinyum significatione opinionem amplecti cogunt et sic solum illae repugnantiae supra demonstratae solvi possunt.

Primum hoc est argumento. Aeschylus rem non ita fingit, ut Erinyes iam adsint, priusquam Orestes mente privetur, sed Orestes prius dementia afficitur (*Choëph.* 1020—1022; v. p. 68) et demens factus tum demum cernit Erinyes (vv. 1044—1047; v. p. 69), quae igitur

1) Sic etiam Schoemann; vide p. 75, annot. II. huius libri.

2) Dr. Chr. Herwig, Das ethisch-religiöse Fundament der äschyleischen Tragödie, Konstanz 1878, p. 32 : 7 „...die wahre Anschauung des Dichters spricht hier, *wie überall*, der Chor aus."

post eius dementiam, i. e. ex ea oriuntur. Cui opinioni non repugnat, quod *Eum.* 322—327 Erinyes dicunt suum carmen dementem facere:

ἐπὶ δὲ τῷ τεθυμένῳ
τόδε μέλος, παρακοπά,
παραφορὰ φρενοδαλής,
ὕμνος ἐξ Ἐρινύων,
δέσμιος φρενῶν, ἀφόρ-
μικτος, αὐονὰ βροτοῖς,

nam cum conscientia sceleris indeque orta dementia semel illos terrores, Erinyes dico, animo hominis scelerati incussit, hi ipsi terrores rursus invicem eum in furorem coniciunt et ratione privant. Ex eo porro, quod Erinyes nihil sunt nisi προσωποποιία poëtica horum terrorum, ex ipso viri scelerati animo proficiscentium, etiam varius Erinyum aspectus derivandus est, nam sceleratis, qui sceleris conscientia anguntur, idem accidit, quod dormientibus, quorum imagines, quae iis in somnis apparent, interdum formam perpetuo mutant, ita ut, qui modo esset homo, subito bestia facta sit, quique modo esset quadrupes, sensim sine sensu in draconem aut aliud quod abeat monstrum, aut, quod non raro fit, uno eodemque puncto temporis hominis et bestiae species una in imagine cernatur. 1)

Nolo tamen contendere Aeschylum eam ipsam ob causam has imaginum vicissitudines excogitavisse, nam nullas fortasse alias formas Furiis attribuit nisi eas, quae iam ex antiquioribus temporibus erant notae, quasque

---

1) Lucretius, IIII, 770—776 (edit. IV, Lachm.):

Nam fit ut in somnis facere hoc videatur imago:
quippe, ubi prima perit alioque est altera nata
inde statu, prior hic gestum mutasse videtur.
Scilicet, id fieri celeri ratione putandumst:
tanta est mobilitas et rerum copia tanta,
tantaque sensibili quovis est tempore in uno
copia particularum, ut possit suppeditare.

Cfr. etiam V. 1169—1171.

Erinyes fortasse debebant nubibus, quae hominibus credulis olim in monstra abire videbantur. 1) Sed quia haec formarum varietas optime in poëtae de Furiis opinionem quadrabat, admirabilem in modum his variis imaginibus usus est, quibus quod sentiebat, poëtice exprimeret.

Erinyes igitur semper exstant et adsunt, ubicunque aliquis ex impio et nefario facinore maculam concepit. Unde factum est, ut ipse *Ζεύς*, quippe qui patrem *Κρόνον* vinxisset, suas habere Erinyes diceretur, et hae deae ea ex parte fatum Iovis constituerent, i. e. hoc agerent, ut *Ζεύς* suae impietatis poenas solveret. 2) Nam ipse Prometheus dicit 3) illud matrimonium, quod Iovi fatale esset, ei imminere ex eo, quod patris *Κρόνου* eum persequeretur *ἀρά*, 4) vel, quod idem est, Erinys. 5) Sed quid, quod Erinyes, quamquam *θεοὶ παλαίτεραι* sunt, quae suum munus habent ex quo sunt natae, hoc munus tamen a diis acceperunt? Constat in *Eumenidibus* illi antiquo mori, quo in sua quisque causa erat iudex, salutare institutum, cui nomen Areopago, opponi. Quo factum est, ut Aeschylus, quamquam Erinyes ei *προσωποποιία* angorum animi quovis scelere agitati erant, eas in hac tragoedia praecipue ad illum tristem perniciosumque morem referret. Ut igitur hic mos iuris naturalis antiquior erat quam Areopagus, qui hunc morem sustulit, sic Erinyes, quae cum hoc more, ubi ad consanguineos applicabatur, semper coniunctae erant, antiquiores cogitabantur quam dii Olympici, quorum regnum in magis erudita tempora incidit. Hoc modo solum Aeschylus illud *παλαιοῦ* nomen tueri potuit, nam licet in mythis Graecis

---

1) Vide quae Rapp de hac re scripsit in lexico W. H. Roscheri (p. 1310 et quae sequuntur. De Pausaniae opinione, Aeschylum primum angues pro crinibus Furiis dedisse p. 1313).

2) Sic etiam Klausen, p. 41.

3) *Prom.* 909—911 (vide p. 57).

4) Vide tamen p. 58 annot. II huius libri.

5) *Eum.* 413 *Ἀραὶ δ᾽ ἐν οἴκοις γῆς ὑπαὶ κεκλήμεθα.*

Erinyes etiam antiquiores perhibeantur, et id quidem aliis de causis, non liquet, qui illae deae apud Aeschylum diis Olympicis antiquiores esse possint, cum simulac natae erant, suum ulciscendi munus acceperint, idque in homines solos (*Eum.* 339—340; ibid v. 306, v. 382, vide p. 65—66), hi autem Iove demum regnante rationis participes facti sint, neque igitur ante id tempus ultionis sentiendae capaces fuerint (*Prom.* 444—455):

τἀν βροτοῖς δὲ πήματα
ἀκούσαθ', ὡς σφᾶς νηπίους ὄντας τὸ πρὶν
ἔννους ἔθηκα καὶ φρενῶν ἐπηβόλους.
λέξω δέ, μέμψιν οὔτιν' ἀνθρώποις ἔχων,
ἀλλ' ὧν δέδωκ' εὔνοιαν ἐξηγούμενος·
οἳ πρῶτα μὲν βλέποντες ἔβλεπον μάτην,
κλύοντες οὐκ ἤκουον, ἀλλ' ὀνειράτων
ἀλίγκιοι μορφαῖσι τὸν μακρὸν βίον
ἔφυρον εἰκῆ πάντα, κοὔτε πλινθυφεῖς
δόμους προσείλους ᾖσαν, οὐ ξυλουργίαν·
κατώρυχες δ' ἔναιον ὥστ' ἀήσυροι
μύρμηκες ἄντρων ἐν μυχοῖς ἀνηλίοις.

Quodsi Ἐρινύες suo officio sub Iovis demum regno fungi coeperunt, quidni illud verbum Promethei (v. 231—234):

ὅπως τάχιστα τὸν πατρῷον ἐς θρόνον
καθέζετ', εὐθὺς δαίμοσιν νέμει γέρα
ἄλλοισιν ἄλλα καὶ διεστοιχίζετο
ἀρχήν·

etiam ad Furias vel Diras pertinere credamus? Hoc saltem nusquam obliviscendum est, sine hominibus rationis participibus Erinyes extare nullas posse. Hae deae dicunt quidem se suum munus a diis accepisse (non a Iove), sed Erinys nulla exstat, nisi aut *Ζεὺς* aut Apollo aut Pan aut alius quis deus eam alicui domui immittit, quo fit ut illa actio muneris donandi et accipiendi semper iteretur, cum

deus aliquis earum auxilio utitur. Primum igitur a Iove honores acceperunt, deinde a reliquis etiam diis. 1)

Restat ut de repugnantia, quam apud Erinyes in munere exercendo invenimus, pauca moneamus. Nam modo dicunt se matricidas solos insequi, modo earum munus ad omnes homicidas, quin etiam ad eos, qui praeter fas felices sunt, ad omnes denique pertinet, qui altaria *Δίκης* pedibus calcitrant. 2) Qui hoc sit intellegendum? Ita videlicet, ut, ubi dicunt se matricidas solos persequi, hoc sic accipiendum sit, quasi dixissent: ex iis qui effusum sanguinem ulciscuntur (i. e. qui caede aliqua commissa iudicum vicibus funguntur), eos solos domibus expellimus, qui patris alteriusve ulciscendi causa matrem occiderunt. Nam ii, qui caedem mutua caede multabant, nulla expiatione egebant, sed matrem occidere nunquam licebat propter vinculum pietatis atque affinitatis, quod inter matrem et liberos intercedebat. Hanc ob rem Erinyes solum Orestam, non (aut lenius) Clytaemestram puniebant, et Orestam persequuntur matris quidem *κύνες*, sed non Aegisthi. Si quis tamen alterum quo malo afficit non ut iustitiae satis-

1) Haec tamen explicatio solam respicit formam, in quam Aeschylus suas cogitationes redegit, nam, id quod cap. I iam apparuit, Aeschylo non multum interest inter huius vocis quae est d e u s, singularem et pluralem numerum, et Iovem tantopere attollit, ut reliquis diis nullus paene relinquatur locus.

2) *Eum.* 504—511:

μηδέ τις κικλησκέτω
ξυμφορᾷ τετυμμένος,
τοῦτ' ἔπος θροούμενος·
ὦ δίκα, ὦ θρόνοι τ' Ἐρινύων.
ταῦτά τις τάχ' ἂν πατὴρ
ἢ τεκοῦσα νεοπαθὴς
οἶκτον οἰκτίσαιτ', ἐπει-
δὴ πίτνει δόμος δίκας.

Item vv. 530—534:

ἐς τὸ πᾶν δέ σοι λέγω,
βωμὸν αἴδεσαι δίκας·
μηδέ νιν
κέρδος ἰδὼν ἀθέῳ ποδὶ λὰξ ἀτίσῃς·

Cfr. vv. 516—519 et passim.

faciat, sed contra omne ius et fas, is semper Erinyum terroribus obnoxius est. Unde etiam patet, Erinyes non solum, immo raro exsecrationes ratas facere, nam saepe adsunt nulla exsecratione antecedente. Klausenio igitur non assentior, dicenti: (Theol. Aeschyli trag. p. 50): „*Apud* Aeschylum *ubique* cognosci potest haec cogitatio principalis, Furias esse eas, quae exsecrationem ratam faciant." Quamquam ipse paulo infra iam addit: „Tamen interdum etiam nulla exsecratione pronuntiata scelera antiqua puniunt." Equidem concedo Erinyes etiam *Ἀρὰς* appellari, hanc autem vocem proprie exsecrationem significare, sed cum non semper, ut Klausen fatetur, de exsecratione proprio, sensu cogitari possit ubi adest Erinys, hoc *Ἀρᾶς* nomen alio modo explicandum videtur. Quod luce clarius fit ex *Choëph.* 905, nam ibi Clytaemestra rogat Orestam:

οὐδὲν σεβίζῃ γενεθλίους ἀράς, τέκνον;

Hoc loco *γενεθλίους ἀρὰς* idem esse ac *μητρὸς ἀρὰς* patet ex responso, quod ab Oresta datur (v. 906):

τεκοῦσα γάρ μ' ἔρριψας ἐς τὸ δυστυχές 1)

Clytaemestra igitur rogat, annon Orestes metuat matris *ἀράς*. At si h. l. de exsecratione sermo esset, dicere debebat *ἀρὰν* singulari numero ut *Prom.* 909 *πατρὸς ἀρά*, et, quod maius est, nulla sequitur Clytaemestrae exsecratio. Itaque etiam tum, cum nulla exsecratio pronuntiatur, Erinyes non solum venire possunt (cfr. *Agam.* 55—59), verum etiam *Ἀραὶ* appellantur. Sed Aeschylus disertis verbis dicit Erinyes *Ἀρὰς* appellari subter terram (*γῆς ὑπαί*), quod non credo eum temere fecisse. Si enim Erinyes revera nihil aliud nisi conscientiae scelerum sunt, 2) non possunt hae

1) Ad hunc versum Wecklein annotat: d. i. Wie kann ich in dir die Mutter achten?

2) Quod etiam Schoemann concedit in *Die Eumeniden des Aeschylos*, Einl. p. 33: „.... so waren auch dem alten Dichter und seinem Publicum die Erinyen nicht eine bloss äusserliche auf den Orestes einbrechende Macht, sondern sie waren ein in die Erscheinung tretendes Gegenbild dessen, was in seiner eigenen Seele vorging."

eandem habere vim apud homines, concreto corpore praeditos et corpore privatos mortuos. Nam quoad animus in corpore habitat, non potest is corpus quodam modo non regere variisque afficere affectibus. Itaque si animus hominis vivi angitur, multas fingit imagines, quas homo oculis cernere sibi videtur, hae autem imagines sunt Erinyes (vide p. 71), si tamen animus in inferis a corpore separatus est, illae fallaces imagines evanuerunt, sed remanserunt conscientiae scelerum, quae, dum animus in corpore erat, eas imagines procreaverant. In hoc igitur statu mortuorum animi mordentur conscientia sceleris, 1) i. e. voce dei, quae efficit, ut priora facinora detestentur, cum tandem hac voce divina (quamquam heu sero!) recte sapere didicerint et sentiant se in iis peccasse deique iram excitasse. Hanc tacitam dei vocem et inde ortam animi poenitentiam et sui detestationem ab Aeschylo *ἀρὰν* appellari crediderim. Quocum congruit, quod vox quae est *Ἐρινύς* magis ad concretam imaginem pertinet, *ἀρὰ* autem potius sensu abstracto est accipienda. Quod tamen Aeschylum non prohibuit, quin Erinyes, cum semel illo altero *ἀρᾶς* nomine significarentur, p r o m i s c u e uno alterove nomine indicaret.

Iam superest, ut pauca dicam de quaestione, quid poëta in *Eumenidibus* praestare voluerit, quia hoc cum Furiarum significatione arte cohaeret. *Rapp in Roscheri lexico* 2) dicit de hac re: „Segenbringend sind sie (*Ἐρινύες* scil.) dann, wenn sie versöhnt sind, und die Versöhnung der sonst so unerbittlichen Göttinnen, die Verwandlung aus Erinyen in Eumeniden zu erklären, ist die Tendenz des Mythos von dem Gericht über Orestes und der Hauptinhalt von Aeschylos Eumeniden." Velim rogare,

---

1) *Eum.* 174: *ὑπό τε γᾶν φυγὼν οὔποτ' ἐλευθεροῦται.* Cfr. *Agam.* 445—447, *Eum.* 223.

2) p. 1327 in fine.

quonam modo Aeschylus hanc permutationem *explicaverit*, nam Areopagus eas minime mansuetas reddidit, sed earum vim tantum infregit. Nec prius placantur, quam Minerva dixit eas accepturas esse *ἕδραν πάσης ἀπήμον' οἰζύος* iisque hunc honorem futurum, *ὡς μή τιν' οἶκον εὐθενεῖν ἄνευ σέθεν* (*Eum.* 874—877; cfr. v. 819). Sed hunc honorem iam antea habebant, neque igitur haec verba quicquam aliud significant nisi hoc: oro vos, ut nunc irasci desinatis, in posterum vestro honori non iterum obtrectabimus. Cedunt igitur precibus, hac re tota placatio consistit. Itaque Orestam persequi non desinunt, quod Eumenides factae sunt, sed quia solis suffragiis sunt victae. Fiunt enim Eumenides, postquam Orestes earum potestati ereptus est. 1)

Schoemann dicit (Des Aeschylos' Eumeniden, p. 8): „Man erkennt leicht, dass dem Dichter die Lossprechung des Orestes nicht der alleinige oder der Hauptinhalt seiner Tragödie sein solle, sondern dass dieser vielmehr in demjenigen bestehe, was er mit jener in Verbindung gebracht hat, in der Anordnung des Gerichtshofes auf dem Areopag, wodurch Verbrechen, wie das des Orestes, fortan der unbedingten Strafgewalt der Erinyen entzogen werden, und in der Versöhnung der Erinyen mit dieser Anordnung, und ihrer Umwandlung aus unholden und verderblichen Rachegeistern in wohlwollende und segensreiche Göttinnen" 2) Haec non magis placent, nam Schoemann putat Areopagum hanc ab causam institutum esse, ut talia scelera, quale Orestes commisit, posthac Erinyum

1) Praeterea non satis perspicua videntur haec verba: *die Verwandlung aus Erinyen in Eumeniden*, quia non patet, utrum Rapp hanc permutationem ad totam Erinyum naturam pertinere putet, ita ut non amplius *Ἐρινύες* exstent, an ad solum earum in Orestam animum. Qui putat eas non amplius Erinyes esse, is legat *Eum.* 877; 911—918; 930—935; 970—973.

2) vide annot. 1.

potestati detraherentur et in Areopago iudicarentur. Quod equidem nego. Putat porro Erinyes *cum Areopago* reconciliandas fuisse et revera reconciliatas esse, sed minime irascebantur huic instituto, neutrum igitur fieri potuit. Quod ad permutationem Erinyum, de hac re vide supra.

Dixi me negare, quod Schoemann de Areopago scripsit, eum scil. institutum esse, ut scelera, quale Orestae scelus, Erinyum persecutioni detraherentur. Primum enim Schoemann sibi ipse repugnat, nam legimus p. 9—10 Areopagum talia peccata, quae ex officiis inter se pugnantibus oriuntur, recte iudicare posse eumque hanc ob rem institutum esse: „Dies ist die unheilvolle Consequenz der durch das natürliche Recht geforderten Blutrache, dass sie den Menschen in eine Collision widerstreitender Pflichten bringt, aus der es unmöglich ist, einen Ausweg zu finden, wenn nicht von anderswoher eine Entscheidung gewonnen wird. Diese kann aber nur gewonnen werden durch Abwägung der beiden streitenden Pflichten nach Momenten eines höheren als des bloss naturlichen, nach denen eines sittlichen Rechts. Dieses höhere Recht offenbaren dem Menschen die Himmlischen, und durch die Stiftung eines Gerichtshofes unter ihrer Leitung und Erleuchtung (?) wird die Veranstaltung getroffen, dass fortan die Thaten der Menschen nicht bloss nach ihrer äussern Gestalt, sondern nach ihrer innern Beschaffenheit beurtheilt, und hiernach entweder gestraft oder gerechtfertigt werden sollen." At. p. 35—36 Areopagus ad tales res iudicandas plane ineptus esse dicitur: „Dass die zu Richtern bestellten Athenischen Bürger den Orestes mit gleicher Stimmenzahl verdammen und lossprechen, dadurch wird angedeutet, wie es für bloss menschliche Erwägung (ubi igitur illa „Erleuchtung"?) nicht wohl möglich sei, in einer solchen Collision widerstreitender Pflichten für Eins oder das Andere zuversichtlich zu entscheiden, was ja Athene selbst auch schon ausgesprochen hat, indem sie sagt:

Zu schwer ist dieser Handel, wenn ein Sterblicher Ihn denkt zu richten. 1)

Und wenn sie nun dennoch ein Gericht von Sterblichen niedersetzt, und also im Widerspruch mit eben dieser Auesserung zu handeln scheint, so thut sie es offenbar nur, um eben die Unmöglichkeit, dass Menschen hier entscheiden können, durch die That selbst anschaulich zu machen." Quin etiam p. 38—39 uno tenore Areopagus ad talem rem *utilis* et *inutilis* esse dicitur: „Nicht bloss für diesmal, sondern auch in Zukunft (hoc pertinet ad Areopagum) *soll Der nicht rettungslos den Erinyen verfallen sein*, dessen That aus einer Collision widerstreitender Pflichten entsprungen und von so zweifelhafter Beschaffenheit ist, *dass nach menschlichem Ermessen das Urtheil unentschieden zwischen Verdammung und Lossprechung schwanken muss.* Die Erinyen sind Rachegeister die unbedingt ihr Strafamt ausüben wollen, nur die äussere That an sich, nicht ihre innere Beschaffenheit im Auge habend. Jeder Verletzung des Rechtes soll gebüsst werden, unangesehn, ob nicht ein anderes Recht dadurch gewahrt sei. Dies unbedingte Strafamt behaupten sie und halten daran fest, in der Meinung, dass, wenn es nicht in Kraft bleibe, dann überhaupt alle Scheu vor ungerechtem Thun verschwinden werde; und das ist der Sinn ihrer Rede, als Athene erklärt hat, ein Gericht niedersetzen zu wollen." Sed in fine prooemii (Einl. p. 44 et 45) Schoemann significare videtur Areopagum magis ad scelera praecavenda quam punienda institutum esse. Et rectissime quidem: Areopagus non institutus est, ut res controversas ex domestica ultione natas iudicet, sed ut ipse

---

1) *Eum.* 466—467: *ΑΘ:*

τὸ πρᾶγμα μεῖζον ἤ τις οἴεται τόδε βροτὸς δικάζειν.

Quam perverse Schoemann hunc locum verterit, quisque videt, hoc enim significat: causa maior est iudicare (i. e. difficilior ad iudicandum) quam mortalis aliquis putaverit.

munus ulciscendi iustitiaeque exercendae suscipiat, ne filii amplius cogantur matrem pro patris caede ulcisci neque Furiarum fiant praeda. Haec est unica victoria, de Furiis reportata. Sic etiam patet, cur Erinyes non irascantur instituto Areopago neque sint cum eo reconciliandae. Nam ubi aliquod scelus commissum est, Erinyes adsunt et semper aderunt ut ulciscantur, sed nusquam apparet eas irasci, quod scelera rariora fiant iisque igitur minus occasio exercendi muneris sui offeratur.

Quid igitur sibi velit haec *Eumenidum* tragoedia? Primum memoria tenendum est, eam esse partem trilogiae atque finem earum rerum (*Choëph.*), quarum causa in prima trilogiae parte (*Agam.*) quaerenda est. Itaque ut in *Agamemnone* causa reperitur, cur Orestes matrem ulciscatur, in *Choëphoris* autem ipsa ultio, sic in *Eumenidibus* poëta auditoribus sortem Orestae ultoris ante oculos ponere debebat atque ostendere, utrum dignus esset, qui condemnaretur an absolveretur. Condemnatus igitur aut absolutus Orestes argumentum *Eumenidum* esse debebat. At absolutus est Orestes. Ergo Orestes absolutus totius tragoediae est argumentum atque, id quod non obliviscendum est, unicum argumentum, poëta dignum.

Si tamen hanc unam tragoediam per se spectamus, primum videndum est, quo modo poëta hanc rem (Orestae iudicium dico) solverit. Sensit igitur Orestam, cui agendum esset convenienter illis temporibus, cum nondum aliud ius nisi ius naturale exstaret, patrem ulcisci debuisse, attamen ei matrem occidere minime licere. Hic igitur erat nodus inenodabilis, qui nihilominus enodandus fuit. Provocationem igitur pro Oresta ad populum fecit, i. e. in ipsa tragoedia ad Areopagum, qui eum *non condemnavit*, cum numerus condemnantium idem esset ac numerus absolventium. Hoc iudicium deinde dei sapientia (Minerva) sanxit, itaque totus populus id sine dubio approbavit,

neque Orestes, cum sentiret deum sibi ignoscere, diutius conscientia caedis angebatur, sed tranquilla mente de scaena decessit. Equidem igitur contendo Orestam absolutum poëtae argumentum huius tragoediae fuisse, sed Aeschylum admirabilem in modum hac tragoedia ostendisse, quam salutaris populo Areopagus esset, 1) quippe qui tam

---

1) Non possum non addere haec verba Güntheri (Grundzüge der Tragischen Kunst p. 18—19), quibus Schoemanni opinioni, Orestam absolutum non esse argumentum κατ' ἐξοχήν huius tragoediae, occurram: „Abgesehen von den besprochenen fünf Punkten kann ferner für die Beurtheilung der Tragödien auch die Frage Wichtichkeit erlangen, inwiefern dem Dichter etwa bestimmte andere, als rein dichterische Absichten vorgeschwebt haben. Diese könnten vorwiegend nur entweder *religiöse* oder *politische* gewesen sein. Es handelt sich hierbei nicht um die bereits abgethane Frage, ob der tragischen oder irgend welcher andern Kunst ein Zweck überhaupt unterlegt werden dürfe, sondern um den einzelnen Fall des einzelnen Tragikers.

Denn es ist recht wohl denkbar, dass in diesem oder jenem Stücke die Darlegung eines religiösen oder politischen Gedankens in hervorragender Weise geplant war, und es kommt dann einzig und allein darauf an, wie gross der Einfluss dieses Gedankens auf die Gestalt und das Wesen der Dichtung war. Sobald derselbe massgebend und absichtsvoll zu Tage tritt, ja vielleicht gar schon bei der Wahl des Stoffes entschied, haben wir es natürlich mit keinem Kunstwerke, sondern mit einem *Tendenz*-Stücke zu thun. Wo er dagegen dergestallt mit dem künstlerisch gestalteten Stoffe zusammenhängt, dass er gleichsam von selbst und unerzwungen aus dem Inhalte, aus der einzelnen Stelle hervorspringt, kann er mitunter seine volle Berechtigung besitzen. Denn warum sollten Fragen aus den zwei beregten Gebieten einer Erörterung im Dichtwerke nicht theilhaft werden dürfen, wenn sie nur an sich in höherem künstlerischen Sinne gefasst und behandelt sind? Wir müssen also von dem unkünstlerischen Tendenzstück, wie es uns in der späteren Dramenliteratur begegnen wird, diejenigen Stücke oder Stellen classischer Tragödien unterscheiden, welche in der eben bezeichneten Weise eine besondere Absicht des Dichters verrathen. Ihren Grund finden dieselben in der Frömmigkeit und Vaterlandsliebe des letzteren, und namentlich waren politische Anspielungen und Parallelen den im vollpulsirenden Staatsleben stehenden Athenern Gegenstand besonderer Vorliebe... Tendenz, u. z. tendenzlose Parodie war Sache der alten Komödie, die Tragik war sich ihrer rein künstlerischen Aufgabe zu gut bewusst, um sich zur Dienerin der Politik zu machen, und wenn unsre Griechischen Meister wohl da oder dort einmal die Zungenfertigkeit und Sophistik der Demagogen geisseln (wie Philoktet 108 ff., 386 ff.), oder das Verhältniss zu einem Nachbarstaate

tristem rerum statum, qualis ex iure naturali oreretur, renovari non siverit. Atque haec praestantia Areopagi non solum in eo posita est, quod ipse ultionem effusi sanguinis suscepit, sed etiam atque in primis, quod moribus civium custodiendis atque metu proposito nefaria scelera praecavit aut saltem diminuit. Quam ob rem Aeschylus Minervam hanc potestatem, cui Aeschyli aetate nonnulli obtrectabant, Areopago tribuentem fecit (*Eum.* 680—698):

ἐν δὲ τῷ σέβας
ἀστῶν, φόβος τε συγγενὴς τὸ μὴ ἀδικεῖν
σχήσει τόδ' ἦμαρ καὶ κατ' εὐφρόνην ὁμῶς,
αὐτῶν πολιτῶν μὴ 'πικαινόντων νόμους.
κακαῖς ἐπιρροαῖσι βορβόρῳ θ' ὕδωρ
λαμπρὸν μιαίνων οὔποθ' εὑρήσεις ποτόν.
τὸ μήτ' ἄναρχον μήτε δεσποτούμενον
ἀστοῖς περιστέλλουσι βουλεύω σέβειν,
καὶ μὴ τὸ δεινὸν πᾶν πόλεως ἔξω βαλεῖν.
τίς γὰρ δεδοικὼς μηδὲν ἔνδικος βροτῶν;
τοιόνδε τοι ταρβοῦντες ἐνδίκως σέβας,
ἔρυμά τε χώρας καὶ πόλεως σωτήριον
ἔχοιτ' ἂν οἷον οὔτις ἀνθρώπων ἔχει
οὔτ' ἐν Σκύθῃσιν οὔτε Πέλοπος ἐν τόποις.
κερδῶν ἄθικτον τοῦτο βουλευτήριον,
αἰδοῖον, ὀξύθυμον, εὑδόντων ὕπερ
ἐγρηγορὸς φρούρημα γῆς καθίσταμαι.
ταύτην μὲν ἐξέτειν' ἐμοῖς παραίνεσιν
ἀστοῖσιν εἰς τὸ λοιπόν.

---

andeuten (vgl. Oed. Kol. 420 und einige Stellen im Aias, ja selbst wenn sie, wie Aeschylos in seinen Eumeniden, eine altehrwürdige Staatseinrichtung mit Hülfe der Poesie vertheidigen, so darf man dies nicht Tendenz nennen, weil der rein dichterische Zweck dadurch nicht beeinträchtigt wird, sondern lediglich aus patriotischem Sinne hervorgegangene Beziehungen auf allgemeine Zustände und Fragen."

CAPUT IV.

Quae sit summi dei Aeschylei natura quaeritur.

Postquam superioribus capitibus vidimus Iovem summum ac paene unicum deum apud Aeschylum esse, hic quaerendum nobis est, qualem hunc deum esse existimemus. Estne persona, ut homines, sui conscia, annon, estne aliquis an potius aliquid? Dicat fortasse aliquis hoc satis superque apparuisse ex iis locis, quos in capite de Aeschylo unius dei cultore percurrimus. Et sic quidem videri possit. Obicio tamen I° apud Aeschylum nonnullos locos occurrere (partim iam laudatos), ubi ipsa materia deus esse aut saltem deum continere videatur; II° Aeschyli ipsius aetate homines fuisse, qui deum animum mundi appellarent, inter hos Pythagoram, 1) cuius doctrinam Aeschylum amplexum esse Cicero perhibet; 2) III° denique eos etiam, qui postea pantheistae appellati sunt, saepe de deo tanquam de persona locutos esse idque in poëtis, qui et res et meras ideas in deos atque personas vertere ament, multo minus offendere.

Loci, ad quos supra allusi, sunt hi:

---

1) Cic. Deor. Nat. I, 27: „Pythagoras — censuit animum esse (sc. deum) per naturam rerum omnem intentum et commeantem, ex quo nostri animi carperentur (Ritter et Preller, Hist. philos. Graec., p. 61).

2) Tusc. disp. 2, 10: „Veniat Aeschylus, non poeta solum sed etiam Pythagoreus, sic enim accepimus." (Cfr. prooem. p. 14).

Prom. 88—95:

ὦ δῖος αἰθὴρ καὶ ταχύπτεροι πνοαί,
ποταμῶν τε πηγαί, ποντίων τε κυμάτων
ἀνήριθμον γέλασμα, παμμῆτόρ τε γῆ,
καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ·
ἴδεσθέ μ' οἷα πρὸς θεῶν πάσχω θεός.
δέρχθηθ' οἵαις αἰκίαισιν
διακναιόμενος τὸν μυριετῆ
χρόνον ἀθλεύσω. 1)

Choëph. 703—706:

ὦ πότνια χθὼν καὶ πότνι' ἀκτὴ
χώματος, ἣ νῦν ἐπὶ ναυάρχῳ
σώματι κεῖσαι τῷ βασιλείῳ,
νῦν ἐπάκουσον, νῦν ἐπάρηξον. 2)

Fragm. denique *Heliadum* (in edit. Nauck fr. 70, pag. 24):

Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός,
Ζεύς τοι τὰ πάντα χὤτι τῶνδ' ὑπέρτερον.

Hoc postremo loco αἰθὴρ et γῆ, quae prioribus locis iam tanquam personae implorantur, immo tota rerum natura Ζεὺς appellatur. Rogatur igitur, possintne haec verba pronuntiari ab eo, cui deus est unus atque persona, aut si hoc minus, a quonam alio?

Haec verba per se spectata videri possint mentem exprimere eorum, qui contendunt deum nihil aliud esse nisi materiam, ut aethera, terram, caelum, omnia denique, quae sensibus exteris, imprimis oculis, percipi possint. Qui deum personam esse negant. At Aeschylum (ut plerosque Graecorum), in omnia alia ire in eius fabulis ubique probatur, nam Aeschylus credidit deum totum mundum gubernare secundum leges summam potentiam, sapientiam, bonitatem, iustitiam testantes, id quod in materialismum (venia sit verbo) minime quadrat, quippe qui fato tantum

1) Cfr. *Prom.* 1092—1094.
2) Vide *Choëph.* 527—528.

ac caecae necessitati det locum. Praeterea cum hac opinione illud *ὑπέρτερον* pugnat, quia secundum hanc doctrinam nihil materia superius exstat. At fortasse putabit aliquis haec verba poëtice exprimere doctrinam eorum, qui *τὸ πᾶν* deum esse credunt, Spinozamque (ut clarissimo exemplo utar) his verbis pulchre uti potuisse. Quod si concederem, illud fragmentum sic interpretandum esset, ut *τὸ ὑπέρτερον deus sive substantia* esset, aether autem et terra et caelum, omnia denique, quae certam aliquam habent formam vel partem universi efficiunt, huius substantiae essent *modi.* Non assentior igitur Naegelsbacho, qui dicit ex illis prioribus verbis: *„Ζεύς ἐστιν αἰθήρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός, Ζεύς τοι τὰ πάντα"* quendam pantheismum elici posse, hac tamen opinione supersedendum esse propter illud *χὤτι τῶνδ' ὑπέρτερον.* 1)

Ipsum enim *το ὑπέρτερον,* quod Naegelsbach cum pantheismo pugnare dicit, unum ad pantheismum pertinere possit. Nam si hac voce omissa reliqua ex Spinozae mente verteremus, versio esset haec: *Modi sunt deus.* Constat

---

1) Nachhom. Theol. p. 137—138: „Zu voller Würdigung der Stellung des Götterköniges, die sich uns zunächst aus den Familienbeziehungen ergeben hat, nehme man noch folgende Anschauungen und Aussagen in Betracht: . . . . 3. Das Aeschyleische Fragment 295 (379): *Ζεύς ἐστιν . . . . ὑπέρτερον,* in welcher Stelle *der anscheinende Pantheismus* durch das *καὶ ὅτι τῶνδ' ὑπέρτερον wieder aufgehoben* und in Zeus *nicht blos das Moment der Immanenz sondern auch der Transscendenz anerkannt wird.* Mann wird demzufolge nicht umhin können zuzugestehen, dass die griechische Weltanschauung vornehmlich bei Aeschylus in der Ausbildung ihrer Vorstellungen von Zeus eine *mächtige Neigung zum Monotheismus an den Tag legt.*

Sed 1⁰ ex prioribus fragmenti verbis nulla „Immanenz" elicienda videtur; 2⁰ illa voce quae est *ὑπέρτερον* eodem iure „Immanenz" et „Transscendenz" significari possit, siquidem *substantia ὑπερτέρα* (i. e. superior, maior) est quam *modi;* 3⁰ Spinoza monotheismum minime refutat (Cfr. Ethic. I, propos. XIV, Coroll. I: Hinc clarissime sequitur 1. *Deum esse unicum,* hoc est (per defin. 6) in rerum natura non nisi unam substantiam dari, eamque absolute infinitam esse, ut in scholio prop. 10 iam innuimus).

autem *modos* Spinozae nihil habere veritatis. 1) Quo accedit, quod pantheistae deus non est summa earum, ex quibus universum constat, partium (θεὸς non est τὰ πάντα, ut in fragmento est), sed τὸ πᾶν, i. e. una infinita substantia, quae neque in partes divisa est neque dividi potest. 2) Omissa igitur voce, quae est ὑπέρτερον, reliqua verba deum esse negarent neque aliud significarent nisi hoc: deus non exstat, exstant tantum aether, terra, caelum, omnia denique, quae oculis cerni possunt. Quod non in pantheismum quadrat, sed in materialismum.

Iam igitur apparuit, si quid in illo fragmento inest, quod ad pantheismum pertinere videatur, hoc ipsum τὸ ὑπέρτερον esse. 3) Sed quoniam hoc ὑπέρτερον etiam aliud quid significare possit, pluribus testimoniis nobis opus esset, ut statueremus Aeschylum quodammodo cum pantheistis, quos vocant, sentire. *Quae tamen nulla apud Aeschylum inveniuntur, alia contra, cum hac doctrina pugnantia, multa* (vide infra). Quid igitur hoc fragmentum sibi velit? Nos opinamur Aeschylum praecipue his verbis usum esse, quibus polytheismum refelleret. 4) Si enim alii dicebant *Γῆν* deam esse et *Οὐρανὸν* deum, Aeschylus contra dixit *Γῆν* et *Οὐρανὸν* et omnia, quae exstarent esse Iovem, neque igitur alium deum praeter Iovem esse credendum. Possis urgere Aeschylum de rebus, de materia, non de

1) Sunt enim affectiones substantiae (Ethic. Pars I, defin. V). Cfr. etiam Propos. XV, Schol.: „Sunt qui Deum instar hominis corpore et mente constantem atque passionibus obnoxium fingunt. Sed quam longe hi a veri Dei cognitione aberrent, satis ex iam demonstratis constat. Sed hos mitto. Nam omnes, qui naturam divinam aliquo modo contemplati sunt, *Deum esse corporeum negant; quod etiam optime probant ex eo, quod per corpus intelligimus quamcumque quantitatem, longam, latam et profundam, certa aliqua figura terminatam, quo nihil absurdius de Deo, ente scilicet absolute infinito, dici potest.*"

2) Ethic. Pars I, propos. XIII et XIV, coroll. I.

3) Etiam si cum Pythagorae placitis hoc conferamus.

4) In hac igitur re ab Naegelsbachi opinione (vide p. 85 annot. I) mea haud discrepat.

diis loqui (i. e. non *Γῆ, Οὐρανός*, sed *γῆ, οὐρανός* esse legendum). At memoria tenendum est 1° *Γῆν* deam omnino non a *γῇ* neque *Οὐρανὸν* ab *οὐρανῷ* discernendum esse 1); 2° non patere, utrum poëta hic potius de partibus universi an de diis cogitaverit 2); 3° eum omnem dubitationem tollere eo, quod addit.:

χὤτι τῶνδ' ὑπέρτερον. 3)

Aeschylus igitur hoc fragmento non explicare videtur, quis aut quid sit *Ζεύς*, sed quid *Γῆ*, quid *Οὐρανὸς* sibi velit; ita ut non *Ζεύς*, sed haec nomina sint subiectum, quasi dicere vellet: *Γῆ* interdum et *οὐρανὸς* dii vocantur, sed et haec et omnia quae exstant, ad Iovem sunt referenda, hic autem deus omnium personarum et rerum est causa solusque perfectissimam in se habet veritatem, cum ipse vere exstet neque exstare non possit, omnia alia contra exstent, quia *Ζεὺς* id vult, et tamdiu exstent, quamdiu hic vult. Obiciat fortasse aliquis, sic ne poëtam quidem loqui posse, ut iis, quae ab deo procrearentur, huius dei ipsius nomen tribueret.

At hic usus neque apud Graecos neque apud alios populos raro occurrit. Quod ad Graecos, unum exemplum addo, in quo perspicuitas haudquaquam desideratur. Est fragmentum Hymni Orphici, uti vocant, vv. 9—15:

Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος ἀρχικέραυνος,
Ζεὺς κεφαλή, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται·
Ζεὺς ἀρσὴν γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη·
Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος·
Ζεὺς πνοὴ πάντων· Ζεὺς ἀκαμάτου πυρὸς ὁρμή·
Ζεὺς πόντου ῥίζα, Ζεὺς ἥλιος ἠδὲ σελήνη·

---

1) Homero deus *Οὐρανὸς* ne notus quidem est. Quod ad *Γῆν* deam, vide Naegelsbach, N. H. Theol. p. 117.

2) Quod Aeschylus, si *Γῆ, Οὐρανὸς* legendum est, haec cum aethere, cum omnibus rebus uno tenore nominat, eodem (ad multorum scil. deorum refutationem) pertinere putandum est.

3) Hoc *ὑπέρτερον* non ad locum aliquem referendum est, nam haec vox in fragmento non sequitur *Οὐρανός*, sed *τὰ πάντα*.

Ζεὺς βασιλεύς, Ζεὺς αὐτὸς ἁπάντων ἀρχιγένεθλος.
πάντας γὰρ κρύψας αὖτις φάος ἐς πολυγηθὲς
ἐξ ἱερῆς κραδίης ἀνενέγκατο μέρμερα ῥέζων. 1)

Ut igitur in Aeschyli fragmento *Ζεὺς γῆ* et *οὐρανὸς* dicitur, sic in hoc hymno *Ζεὺς* appellatur *ἥλιος* et *σελήνη*, terrae autem et caeli *πυθμὴν* dicitur, id est, radix vel fundamentum, quod rursus poëtice dictum est pro voce quae est funditor, et, quo omnis dubitatio tollitur, v. 10 *Ζεὺς* omnia fabricatus esse dicitur: *Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται.* 2) Hac fragmenti interpretatione tantum in Iove illa persona sui conscia, quae omnia summa potentia sapientia bonitate iustitia gubernat, integra servatur, quae ubique in Aeschyli tragoediis summa nos replet admiratione, qui mare caelo permiscet, qui sua fulmina in improbos atque scelestos detorquet, qui miseris et implorantibus sua ope adest, cui homines denique summam pietatem perfectissimamque oboedientiam debent. 3)

Postquam supra vidimus Iovem Aeschyleum personam esse sui omniumque rerum conscium, nunc iam alii loci animi requirunt attentionem, quibus partim numini divino humanum corpus tribuitur, partim de deorum immortalitate sermo est.

---

1) In Lobeck. Aglaoph. hoc fragmentum invenitur I, 523 cum versione Latina, quam exhibet Apuleius.

2) Cfr. ad Corinth. I, 8, 5—6: *καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι θεοὶ πολλοί, εἴτε ἐν οὐρανῷ, εἴτε ἐπὶ τῆς γῆς (ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοί, καὶ κύριοι πολλοί·) ἀλλ' ἡμῖν εἷς Θεὸς ὁ πατήρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτόν· καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστός, δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ.* Et ad Rom. XI, 36: *ὅτι ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα·*

3) Quamquam igitur *χθὼν* et *αἰθὴρ* tamquam personae implorantur, nobis post illud fragmentum pertractatum iam perspicuum est hos non vere deos esse putandos. Partim hoc *τῇ δεισιδαιμονίᾳ* Graecorum (quam Aeschylum in suis tragoediis, depinxisse neminem offendet), qua omnia numine divino repleta esse credebant, tribuendum est, partim *τῇ προσωποποιίᾳ*, qua etiam nos res, quasi essent personae, nonnunquam alloqui solemus.

Naegelsbach, ubi de priore re agit, dicit: 1) „Die Seele der Götter steht zu ihrem Leibe genau in demselben Verhältniss, wie die menschliche, *nur dass sie von demselben nie trennbar ist; die göttliche Leiblichkeit wird von den Gläubigen entschieden als eine wesentlich menschenartige betrachtet.* So ist sie von der epischen Poesie aller folgenden und *insbesondere der tragischen* überliefert worden; nicht nur die andern Götter sprechen und handeln auf der Bühne, sondern Aeschylus in der Psychostasie wagt sogar die Majestät des Zeus auf dem sogenannten θεολογεῖον den Zuschauern vorzuführen..." Et sane sunt multi dii, qui in scaena apparent, „a Iove Optimo Maximo", ut Haymii verbis utar, 2) „usque ad Nymphas maritimas aliaque infimae sortis numina" (vide apud Haymium hos omnes deos ordine expositos p. 23—26).

Neque negari potest haec divina corpora nihil ab humanis corporibus differre videri, nam eadem quae hominibus est forma, eodem utuntur sermone, quin etiam de divino sanguine sermo est (Sept. 128, Choëph. 1055, Eum. 89), possunt denique dii cum feminis consuetudinem habere (memento Io, Cassandram) et sic alia permulta huc pertinentia adduci haud difficile esset. Sed memoria tenendum est hic non tam quaerendum esse, possintne dii humanam formam induere, quam hoc: a n n o n d i i h a n c h u m a n a m f o r m a m d e p o n e r e v e l s i n e e a c o g i t a r i p o s s i n t. Nam hoc si ab Aeschylo interdum fieri appareret, summo iure inde efficeremus concretum corpus non ad divinam naturam pertinere. Quod etiam Naegelsbach intellexit, cum tamen ei deorum corpora apud Aeschylum ad divinam naturam referenda esse viderentur, non dubitavit dicere: „nur dass sie (die Seele scil.) von demselben (dem Leibe) *nie trennbar ist.*" At exstat apud Aeschylum exemplum (quamvis indignum), Iovem suam, si quam haberet, formam

1) Nach-hom. Theol. p. 1.
2) R. Haym, De rerum divin. apud Aeschylum conditione, p. 23.

deposuisse aliamque, tauri scil., sibi assumpsisse. *Suppl.* 288—289 enim legitur:

> *ΒΑ.* οὐκοῦν πελάζει Ζεὺς ἐπ' εὐκραίρῳ βοΐ;
> *ΧΟ.* φασίν, πρέποντα βουθόρῳ ταύρῳ δέμας.

Iam dicat fortasse aliquis Iovem non verum taurum factum fuisse, sed speciem tantum tauri praebuisse. Quod tamen in meum verto commodum, nam si Ζεὺς tantum formam tauri induit neque in verum taurum abiit, quidni item credamus Iovem aliosque deos sub humana tantum specie hominibus apparuisse neque verum corpus humanum assumpsisse?

Addo deinde argumentum κατ' ἄνθρωπον. Ipse enim Naegelsbach monet deum Chironem (de quo infra in hoc capite) mortuum esse. 1) Iam igitur sibi ipse repugnat, nisi forte mors ei aliud quid significet quam corporis et animi separatio. Sed plures loci ad hanc rem alicuius videntur esse momenti. *Sept.* 199—200 dicit Eteocles:

> ἀλλ' οὖν θεοὺς
> τοὺς τῆς ἁλούσης πόλεως ἐκλείπειν λόγος.

Hic de diis corporibus vivis praeditis cogitari non potest, quia tales dii in urbe nusquam inveniebantur. Scholiasta quidem recte monet deorum imagines ab ipsis diis Troia, cum interitura esset haec urbs, esse ablatos, 2) sed ex

1) Nachh. Theol. p. 12: „Aber das ist bedeutsam, wenn das attische Volk im Theater vertrug, dass bei Aesch. Prom. 1027 (1031) und Fragm. Herm. 214 eines Gottes, des Chiron, Erwähnung geschah, der, von einem Giftpfeil des Heracles unheilbar verwundet (Soph. Trach. 705 [715], für Prometheus den Tod erleiden will und wirklich erleidet. Denn wenn auch das θεῶν τις des Aeschylus, das θεὸς Χείρων des Sophocles nicht vollsinnig zu nehmen ist, da Schneidewin zu Soph. O. C. 65 den Gebrauch von θεὸς für ἥρως nachgewiesen hat, so wird doch Chiron von der Sage jedenfalls unsterblich genannt (Apollod. 2, 5, 4, § 5, 5, 11, § 10) und in seinem stellvertretenden Tode als ein Unsterblicher gedacht."

2) Schol. ad v. 199: „οὐκ ἀλόγως λέγει τοὺς τῆς πόλεως θεοὺς φεύγειν, πορθηθείσης αὐτῆς. λέγεται γὰρ ὅτι ὅτε ἔμελλε πορθηθῆναι ἡ Τροία, ἐφάνησαν οἱ θεοὶ τοῖς Τρωσὶν ἀνελόμενοι ἐκ τῶν ναῶν τὰ ἀγάλματα αὐτῶν."

hac re apparet deorum imagines non ipsos deos esse, ita ut *Sept.* 199 de imaginibus sermo esse non possit. Neque Eteocles crederet illas imagines e saxo sculptas vere deos esse aut sua sponte loco decedere posse.

Sed ad aliam rem non parvi momenti festino. Est enim inter Aeschyli dramata unum, *Persas* dico, ubi res minime fictae, sed ipsius poëtae aetate revera factae tractantur. Quam tragoediam si cum reliquis Aeschyli quae supersunt tragoediis comparamus, elucet rerum divinarum in ea longe aliam condicionem esse atque in ceteris. Nam hae antiquarum fabularum plenae sunt, in illa vero nihil tale invenitur, in reliquis saepius deos aut deorum imagines in scaena videmus, in hac autem una ne mentio quidem fit ullius formae aut imaginis divinae. Unde apparet Aeschylum longe aliter loqui, ubi antiqua tempora repraesentat ac cum de rebus sua aetate gestis agit. 1)

Commemoro porro virum doctissimum B. Steusloffium duos locos adduxisse, 2) ubi ei *Ζεύς* merus spiritus esse videretur, illum clarissimum locum *Agam.* 149—155:

Ζεὺς ὅστις ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ' αὐ-
τῷ φίλον κεκλημένῳ,
τοῦτό νιν προσεννέπω.
οὐκ ἔχω προσεικάσαι
πάντ' ἐπισταθμώμενος
πλὴν Διός, εἰ τὸ μάταν ἀπὸ φροντίδος ἄχθος
χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως.

et *Suppl.* 92—96:

βίαν δ' οὔτιν' ἐξοπλίζει
τὰν ἄποινον δαιμονίων
ἥμενον ἄνω φρόνημά πως

---

1) Cfr. p. 36—37.

2) In libello, cui titulus: „Zeus und die Gottheit bei Aeschylus, Lissa 1867, p. 30 et 31.

αὐτόθεν ἐξέπραξεν ἔμ-
πας ἑδράνων ἀφ' ἁγνῶν. 1)

Quod recte quidem fecit. Nam neque illud *Ζεύς, ὅστις ποτ' ἐστίν,* neque quod sequitur:

οὐκ ἔχω προσεικάσαι πάντ' ἐπι-
σταθμώμενος πλὴν Διός

facile referas ad eum deum, cuius imagines per totam Graeciam dispersae erant, cuius casus et facta omnibus Graecis in ore versabantur, cuius denique nomen, quod Aeschylus addubitat, iis summae erat religioni. Etsi igitur hoc loco Iovi corpus non disertis verbis abrogatur, tamen Aeschylus nihil novit, quocum Iovem comparare possit, quibus verbis se nihil de eius corpore scire confitetur. Altero vero loco, ubi de Iove sermo est, tantum eius *φρόνημα,* i. e. mens vel spiritus, nominatur, et quamquam hic de sacra eius spiritus sede cogitatur, haec res mihi non tantam affert difficultatem, quantam Steusloffio, 2) nam

---

1) Steusloff p. 30 dicit: „Wie ist est mit dem Anthropomorphismus? Hat die wunderreiche Dichterahnung das Fleisch überwunden und den Gott als reinen körperlosen Geist vorgestellt? War die plastisch gestaltende griechische Künstlernatur einer solchen Abstraction fähig? So gewiss wir diese Frage im allgemeinen verneinen müssen, so gewiss ist es andererseits, dass gleichsam auf einzelne Momente die göttliche Kraft einer glaubensreichen Seele das Dunkel heidnischer Vorstellungen durchbricht und einen Strahl reinerer Anschauung in die Religion der olympischen Götter hineinleuchten lässt. . . . . Erhoben über dieselbe (die Menschenähnlichkeit scil.) stellt er sich aber in zwei eigenthümlich ergreifenden Stellen dar, in denen die Schranken des griechischen Nationalglaubens durchbrochen sind und der Dichter einen Gottesglauben vorschaut, der sich den Heiden erst weit später eröffnen sollte; er erschaut ihn, weil er der menschlichen Natur immanent ist und sich, wenn auch verhüllt, lange vor seiner völligen Klärung geltend machen musste."

Et p. 31: „Als einen Geist aber bezeichnet Aeschylus die Gottheit oder Zeus in der Parodos der Hiketides."

2) l. l. p. 31: „Und der plastische Sinn des Griechen leidet keine ihm zu abstracte Verflüchtigung des Gedankens der Gottheit: in demselben Augenblicke, wo er ihn zum *μνῆμον* (libri manuscripti et Kirchhoff: *ἥμενον*) *φρόνημα* schafft, bannt er den *πανόπτης* und *παγκρατὴς Ζεύς* auf die *ἕδρανα ἁγνά, vernichtet also seine allumfassende Allgegenwart.*"

Christiani, qui si qui alii deum esse spiritum eumque ubique praesentem adesse credunt, saepissime, ut ipsi Sacri Libri, de Dei caelo, alto separatoque ab aliis locis, loquuntur. 1)

Quodsi homines denique divinitus *afflari* dicuntur, ut rem aliquam suscipiant aut perficiant ut *Agam.* 105—106:

ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνέει
πειθὼ μολπᾶν,

si et quod ad corpus et quod ad animum ab summo deo reguntur, 2) si huius dei potestas per totum penetrat mundum, nonne haec omnia, quaeso, potius ad infinitum spiritum, quam ad deum parvulo inclusum corpore pertinere etiam Aeschylo visum erit? Manent profecto illae formae humanae, quibus et Ζεὺς et alii dii in scaenam descenderunt. Sed etiam Christianis constat Deum olim humana specie hominibus apparuisse, 3) neque tamen credunt tale corpus divinae naturae proprium esse.

Pindarus 4) et alii poëtae Graeci docuerunt homines et deos unius eiusdemque generis esse. 5) Ubi igitur deum homines convenientem facerent, ecquam aliam formam atque humanam deo tribuere debebant? Ut iam meam de hac re sententiam paucis verbis comprehendam, Aeschylus non credidit corpus divinae naturae proprium esse, cum interdum deum sub alia atque humana specie, nonnunquam etiam sine ulla forma cogitaverit. Plerumque tamen, ubi rem minus ad vivum resecabat, deo corpus attribuit, sed utrum his locis de concreto corpore an de θεοφανείᾳ, quam vocant, cogitaverit, non liquet.

---

1) Cfr. *Ies.* LXVI, 1, quae verba iterantur *Act.* VII, 49: „Ὁ οὐρανός μοι θρόνος, ἡ δὲ γῆ ὑποπόδιον ποδῶν μου.

2) Apud Aeschylum passim, e. gr. *Agam.* 1448—1450 (vide p. 25 .

3) Quod consummatum est in Christo simul vero Deo et perfecto homine.

4) Nem. VI, 1: ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος, ad quem locum tamen vide Boeckhium (II, 2, 403).

5) Cfr. verba Pauli ad Athenienses, Act. 17, 28: ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καί ἐσμεν· ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι· „Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν." (Calv. Instit. I, 5, 3 hoc refert ad Aratum).

Tenendum tamen memoria est poëtam in tragoediis de his rebus non subtiliter disputare potuisse, neque eas clare perspexisse, ut ipse illis ὅστις ποτ' ἐστὶν indicavit. Neque enim intellegentia humana sufficit, ut ipsa per se tales divinas res clare distincteque percipiat, nam multa post Aeschylum saecula iam praeterierunt, sed omnia illa nomina, quae inventa sunt, ut variae hominum de deo sententiae indicarentur, horum saeculorum numerum fere adaequant!

Iam restat, ut de deorum immortalitate dicamus. Quae Aeschylo magni momenti esse debuit, nam ea ipsa ex parte dii Aeschylei maxime ab hominibus differre videntur, quod illi erant immortales, quam ob rem appellantur δαρόβιοι (*Sept.* 507), ἄμβροτοι (*Eum.* 255), ἀθάνατοι (*Eum.* 340, 931); hi autem mortales, quod Aeschylus indicat vocibus, quae sunt βροτοί, θνητοὶ (utraque vox passim), ἐφήμεροι (*Prom.* 83, 256, 944, ἐφημέριοι *Prom.* 543). Cum igitur deorum immortalitas morti, cui genus humanum est obnoxium, opponatur, primum videamus, quam ob rem homines mortales vocentur.

De quorum corporibus nihil opus est dicere, nam quid certius est aut fuit, quam corpora humana ad unum omnia morti obnoxia esse! Quod Aeschylus pulcherrime his verbis significavit (fragm. 161 ex *Nioba*, p. 53 edit. Nauck):

μόνος θεῶν γὰρ θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ,
οὐδ' ἄν τι θύων οὐδ' ἐπισπένδων ἄνοις,
οὐδ' ἔστι βωμὸς οὐδὲ παιωνίζεται·
μόνου δὲ Πειθὼ δαιμόνων ἀποστατεῖ. 1)

Addo tantum hanc vitam mortalem Aeschylo tam brevem ac paene nullam esse, ut eam comparet cum umbra fumi (fr. 399 apud Nauck):

τὸ γὰρ βρότειον σπέρμ' ἐφ' ἡμέραν φρονεῖ,
καὶ πιστὸν οὐδὲν μᾶλλον ἢ καπνοῦ σκιά

1) Cfr. *Psalm.* 89 v. 49 (ex interpr. Lat. Tremellii et Junii): „Quis vir ita vivat, ut non experiatur mortem? eripiat se ipsum a sepulchro excellentissime?"

eamque appellet (*Prom.* 544—546):

ὀλιγοδρανίαν ἄκικυν
ἰσόνειρον, ᾇ τὸ φωτῶν
ἀλαὸν γένος ἐμπεποδισμένον.

Sed quaerendum est, quid Aeschylus de hominum animis crediderit. Multi loci in eius tragoediis occurrunt, ubi ab diversissimis personis de vita post mortem ut de certissima re agitur. Quorum nunc tres tantum commemoro, *Eum.* scil. v. 269—271:

μέγας γὰρ Ἅιδης ἐστὶν εὔθυνος βροτῶν
ἔνερθε χθονός,
δελτογράφῳ δὲ πάντ' ἐπωπᾷ φρενί.

Et *Eum.* 331—332:

θανὼν δ'
οὐκ ἄγαν ἐλεύθερος.

Supplicum denique vv. 399—401, ubi Pelasgus Danaidibus respondet:

ἐκδόντες ὑμᾶς τὸν πανώλεθρον θεὸν
βαρὺν ξύνοικον θησόμεσθ' ἀλάστορα,
ὃς οὐδ' ἐν Ἅιδου τὸν θανόντ' ἐλευθεροῖ.

Accedit, quod omnibus fere Graecis immortalitas animi minime addubitanda esse videbatur. 1) Fateor quidem mihi immortalitatem animi et vitam animi post mortem unam et eandem rem esse, sed duobus significatam nominibus. Quis enim Graecorum unquam de morte post mortem cogitaverit? 2) Homo igitur, quod ad corpus, est mortalis,

---

1) Cfr. Erwin Rohde: Psyche, Seelencult und Unsterblichkeitsglaube der Griechen, Freiburg i B. 1890, p. 271: „Das bewusste Fortleben der Seele nach ihrer Trennung vom Leibe wird hier (i. e. in mysteriis Eleusiniis) nicht gelehrt, sondern vorausgesetzt; es konnte vorausgesetzt werden, da eben dieser Glaube dem allgemein verbreiteten Seelencult zu Grunde lag."

2) Erwin Rohde, Seelencult und Unsterblichkeitsglaube der Griechen, dicit p. 189: „Das Dunkel dieser Entwicklungszeiten verbirgt uns auch das Werden und Wachsen eines von dem homerischen wesentlich verschiedenen Seelenglaubens. Die Ergebnisse der Entwicklung liegen uns klar genug vor Augen; und wir können noch unterscheiden, wie ein geregelter Seelencult

immortalis vero, quod ad animum, eiusque mors in eo sita est, quod immortalis animus ab corpore mortali separatur.

Cum igitur homines non minus immortalem habeant animum quam dii spiritum immortalem, discrimen non potest non in corpore situm esse. Iam igitur res tota pendet ex hac quaestione, utrum numinis divini corpus proprium sit necne. Si enim statuimus deum Aeschyleum non sine corpore cogitandum esse, illud cognomen ἀθανάτου ad solum divinum corpus erit referendum, sin minus, id nomen sic accipiendum erit, ut deus omnino non habeat corpus, quod emori possit, homo contra habeat. Apparuit autem (pag. 93) Aeschylum deum interdum sine humano corpore, plerumque tamen eo praeditum cogitavisse, neque igitur corpus divinae naturae proprium esse, quam ob rem nos illam immortalitatem sic accipiemus, ut divinus spiritus nunquam interire possit, neque in mortali corpore tanquam in vase sit inclusus, deus autem eo ipso, quod aeternum habeat spiritum, quotiescumque velit, humanam aliudve corpus possit induere.

Iam fere intellegimus, quae sit numinis divini apud Aeschylum immortalitas. Dico apud Aeschylum, nam constat apud Graecos interdum de alicuius dei morte sermonem fuisse, immo cum aliorum deorum tum ipsius Iovis sepulcrum demonstratum fuisse. 1) Hic obiciat mihi aliquis ipsum Aeschylum credidisse deos mori posse, quippe qui deos in Tartarum detortos aut ituros induxerit. Concedo revera talia in eius fabulis occurrere, ecce loci fatales:

---

und zuletzt *ein in vollem Sinne so zu nennender Unsterblichkeitsglaube* sich ausbilden im Gefolge von Erscheinungen, die theils das Emporkommen alter, in der vorigen Periode unterdrückter Elemente des religiösen Lebens bedeuten, theils den Eintritt ganz neuer Kräfte, die im Verein mit dem neu gewordenen Alten ein Drittes aus sich hervorgehen lassen."

1) De Iovis sepulcro vide Cic. de nat. deorum, III, 21, 53. Cfr. Naegelsbach, N. h. Theol. Anmerk. 2 (p. 477).

Agam. 156—160:

> οὐδ' ὅστις πάροιθεν ἦν μέγας,
> παμμάχῳ θράσει βρύων,
> οὐδὲν λέξαι πρὶν ὤν, 1)
> ὃς δ' ἔπειτ' ἔφυ, τρια-
> κτῆρος οἴχεται τυχών.

Prom. 152:

> τὰ πρὶν δὲ πελώρια νῦν αἰστοῖ.

Prom. 222—224:

> ἐμαῖς δὲ βουλαῖς Ταρτάρου μελαμβαθὴς
> κευθμὼν καλύπτει τὸν παλαιγενῆ Κρόνον
> αὐτοῖσι συμμάχοισι.

Denique *Prom.* 1025—1028:

> τοιοῦδε μόχθου τέρμα μή τι προσδόκα,
> πρὶν ἂν θεῶν τις διάδοχος τῶν σῶν πόνων
> φανῇ, θελήσῃ τ' εἰς ἀναύγητον μολεῖν
> Ἅιδην κνεφαῖά τ' ἀμφὶ Ταρτάρου βάθη. 2)

Quid igitur? Nonne videtur de deorum immortalitate iam actum esse? At nusquam de ipsa eorum morte sermo est, dicuntur tantummodo ἄιστοι, i. e. oblivioni traditi, aut, quod eodem redit, in Tartaro iacere eove esse ituri. Quaerendum igitur est, utrum his verbis mors significetur necne. Iam statim concedo mortem hominum hoc modo iterum ac saepius significari, e. gr. *Prom.* 234—239:

> βροτῶν δὲ τῶν ταλαιπώρων λόγον
> οὐκ ἔσχεν οὐδέν', ἀλλ' ἀιστώσας γένος
> τὸ πᾶν ἔχρηζεν ἄλλο φιτῦσαι νέον.
> καὶ τοῖσιν οὐδεὶς ἀντέβαινε πλὴν ἐμοῦ.
> ἐγὼ δ' ἐτόλμησ'· ἐξελυσάμην βροτοὺς
> τὸ μὴ διαρραισθέντας εἰς Ἅιδου μολεῖν.

---

1) In hoc versu vitium latet, nam una syllaba longior esse debet (cfr. v. 151) et praeterea vix intellegitur. De sententia tamen, quae requiritur, omnes fere consentiunt (Ahrens: οὐδὲ λέξεται, Franzius: οὐ λελέξεται).

2) His locis pauci alii addi possint, quos tamen omitto, quia nihil novi afferunt, e. gr. *Prom.* 407—408, 908—909, 955—956.

Qua cum re congruit quod Orcus dicitur mortuis imperare *Suppl.* 755:

πρόπαρ θανούσας δ' Ἀίδας ἀνάσσοι.

Quin etiam Ἅιδης metonymice pro ipsa morte dicitur *Agam.* 645:

ἔπειτα δ' Ἅιδην πόντιον πεφευγότες ...

Sed quis, quaeso, qui non plane Graecae antiquitatis sit expers, ignorat etiam vivos homines inferos visisse? Recordetur modo Orpheum, Herculem, Ulyxem, alios, quos omnes enumerari non opus est, quibus tantum ipsum regem inferorum, deum Plutonem, addo. Sic apud Aeschylum verba Eumenidum indicant *Κρόνον* non mortuum esse, sed vinctum tantummodo, cum dicant (*Eum.* 631):

αὐτὸς δ' ἔδησε πατέρα πρεσβύτην Κρόνον.

Item Apollinis responsum disertius (v. 634—638):

ὦ παντομισῆ κνώδαλα, στύγη θεῶν,
πέδας μὲν ἂν λύσειεν, ἔστι τοῦδ' ἄκος
καὶ κάρτα πολλὴ μηχανὴ λυτήριος·
ἀνδρὸς δ' ἐπειδὰν αἷμ' ἀνασπάσῃ κόνις
ἅπαξ θανόντος, οὔτις ἔστ' ἀνάστασις.

His verbis quam manifeste hominem mortuum vivo deo opposuit! Nullam denique dubitationem relinquunt verba Promethei dicentis (v. 1049—1052):

ἔς τε κελαινὸν
Τάρταρον ἄρδην ῥίψειε δέμας
τοὐμὸν ἀνάγκης στερραῖς δίναις·
πάντως ἐμέ γ' οὐ θανατώσει,

i. e.: Etiamsi Iuppiter me in Tartarum detorqueat, nequaquam me necabit. Item v. 750—751 dicit non in fatis esse se mori:

ἦ δυσπετῶς ἂν τοὺς ἐμοὺς ἄθλους φέροις,
ὅτῳ θανεῖν μέν ἐστιν οὐ πεπρωμένον·

Prometheus igitur ostendit disertis verbis Iovem quidem potestatem habere ipsum in Tartarum deiciendi, nec tamen

morte afficere posse, cum fatum eum immortalem esse voluerit.

Unus tamen locus nobis accuratius est tractandus, locus scil. de Chirone, quem supra laudavi (Prom. 1025—1028, vide p. 97). Naegelsbach enim putat Chironis apud Aeschylum ita mentionem fieri, quasi quamvis deus immortalis, tamen pro Prometheo moriturus esset. Dicit enim Chironem eo ipso, quod Promethei poenam in se suscipiat, immortalem statui. En ipsa Naegelsbachi verba (N. H. Theol. p. 12): „Aber das ist bedeutsam, wenn das attische Volk im Theater vertrug, dass bei Aesch. Prom. 1027 (1031) und Fragm. Herm. 214 eines Gottes, des Chiron, Erwähnung geschah, der, von einem Giftpfeil des Heracles unheilbar verwundet (Soph. Trach. 705 (715)), für Prometheus den Tod erleiden will und wirklich erleidet. Denn wenn auch das *θεῶν τις* des Aeschylus, das *θεὸς Χείρων* des Sophocles nicht vollsinnig zu nehmen ist, da Schneidewin zu Soph. O. C. 65 den Gebrauch von *θεὸς* für *ἥρως* nachgewiesen hat, so wird doch Chiron von der Sage jedenfalls *unsterblich* genannt (Apollod. 2, 5, 4 § 5, 5, 11, § 10) und in seinem stellvertretenden Tode als ein unsterblicher gedacht." Et revera Chiron perhibetur immortalis fuisse 1). Sed ego scire velim, qui Naegelsbach efficiat Chironem eo, quod pro Prometheo mori velit, immortalem cogitari. Si enim Prometheus, ut apud Apollodorum, mortalis esset, etiam alius mortalis pro eo mori potuisset, sin immortalis, ut apud Aeschylum, Prometheus non potuit morte puniri, neque alteri ea poena suscipienda erat, quae a Prometheo

1) E. gr. Apollodori Biblioth. II, 5, 4, 5: „*κἀκεῖ (Χείρων) τελευτῆσαι βουλόμενος, καὶ μὴ δυνάμενος ἐπείπερ ἀθάνατος ἦν, ἀντιδοὺς δὲ Διὶ Προμηθέα τὸν ἀντ' αὐτοῦ γενησόμενον ἀθάνατον, οὕτως ἀπέθανεν.*"
Et II, 5, 11, 10: „*καὶ περαιωθεὶς ἐπὶ τὴν ἤπειρον τὴν ἀντικρὺ κατετόξευσεν ἐπὶ τοῦ Καυκάσου τὸν ἐσθίοντα τὸ τοῦ Προμηθέως ἧπαρ αἰετόν, ὄντα Ἐχίδνης καὶ Τυφῶνος· καὶ τὸν Προμηθέα ἔλυσε, δεσμὸν ἑλόμενος τὸν τῆς ἐλαίας, καὶ παρέσχε τῷ Διὶ Χείρωνα θνήσκειν ἀθάνατον ἀντ' αὐτοῦ θέλοντα.*"

repeti non poterat neque in Aeschyli tragoedia ab eo repetebatur. 1)

Quid igitur? Fuitne Chiron apud Aeschylum mortalis an vero immortalis? Equidem puto hic distinguendum esse. Nam quod ad artem Aeschyli, qui Prometheum immortalem fecit, non, ut Apollodorus, mortalem, etiam Chiron immortalis fuit, deus enim aliquis solus dignus erat, qui pro alio deo puniretur, neque usquam Aeschylus dicit aut Prometheum aut Chironem mori debere, sed Prometheus postquam in Tartaro iacuerit, iterum sub divo aquilae rostro lacerabitur, donec Chiron eius doleres in se suscipiat et pro eo in Tartarum ire velit. Chironem apud Aeschylum non ut moriturum induci ipse Naegelsbach concederet, nam si moriturus videretur eo, quod in Tartarum iturus esset, Chiron Naegelsbachio unicus deus esse non posset, qui moreretur, cum etiam priores dii apud Aeschylum in Tartarum deiecti esse dicantur.

Si tamen artem Aeschyli non respiciamus, sed quaeramus, quid Aeschylus revera crediderit, neque ego existimo Aeschylum tales deos, quales Centauri, credidisse, neque hanc de Aeschylo opinionem alteri imputare audeam. Sive igitur artis sive verae Aeschyli sententiae ratione habita, nusquam Aeschylus videtur deorum immortalitati quidquam detrectasse. Sed fortasse non multum de hac re philosophatus est, credidit tantum deum vivere et victurum esse per saecula 2), vidit autem hominum aetatem aetati succedere, quae ambae res nullis cogitationum ambagibus efficere debuerunt, ut poëta mortalem hominum vitam dei immortalitati opponeret.

1) Aeschylus, credo, Prometheum aut Chironem, aut alium quem deum mortalem immortalitatem habuisse statuit ut apud Apollodorum l. supra l.! Neque Apollodorum in has ineptias abisse sentio, quippe qui tam ridicule illa verba inter se opposuerit ut quisque facile intellegat, quid senserit (Cfr.: ....μὴ δυνάμενος τελευτῆσαι ἐπείπερ ἀθάνατος ἦν.... ἀπέθανεν et: παρέσχε.... Χείρωνα θνήσκειν ἀθάνατον).

2) Suppl. 555: Ζεὺς αἰῶνος κρέων ἀπαύστου...

Deus Aeschyleus igitur fuit immortalis. Restat, ut quanti haec res sit momenti quaeramus. Cum et deus et animus hominis aeterna vita fruatur, deus hac ex parte homini non multo praestat. Sed Iuppiter iam ante natum hominum genus fuit, siquidem aether et terra et caelum eorum genere antiquiora sunt (haec enim omnia in illo fragmento *Heliadum*, quod p. 63 laudavi, appellantur *Ζεύς*). *Ζεύς* igitur fuit deus antiquissimus. Attamen in Aeschyli tragoediis *Ζεύς* patrem et avum habuisse dicitur 1). Quaerendum igitur est, utrum Aeschylus hoc crediderit necne. Si enim ille pater et avus ex poëtae mente nunquam exstiterunt, omnino dii Iove non fuerunt antiquiores et Iuppiter quodammodo ex aeternitate exstitisse videbitur. Haec autem res revera divino numine digna esset, cum talis aeternitas tanto immortalitatem superet, quanto hominem deus. Aeternitas enim et *αὐτουσία* ita dei propria sunt, ut his tollendis ipsum deum tollas. 2)

Klausen de hac re dicit (Theol. Aesch. p. 6): „Sed unum fovebat Aeschylus errorem ingentem, communem Graecorum omnium, qui philosophorum perscrutationibus, quae poesin perturbabant et corrumpebant, non totos sese dederant. Ortum putabat Iovem patrem, fidem habebat fabulae antiquae, quae Saturnum a Iove eversum perhibebat". Et paulo infra: „Neque cur fidem detractaret huic opinioni, rationem habebat Aeschylus, quia, ut Graeci omnes, omnia apparere sibi persuaserat in rerum natura. Ibi omnia nascuntur, quidni natus esset etiam Iupiter? Matrem Iovis venerabatur Tellurem, matrem et nutricem omnium, et summa quidem pietate." Illa mater igitur, quae erat nutrix omnium, Klausenio ipsa nostra terra erat. Itaque miror, quo modo ei illud *Heliadum* fragmentum (*Ζεύς ἐστιν . . . γῆ*) interpretandum videretur. Et si ei *Ζεύς* ex Tellure natus

---

1) *Eum.* 631, *Prom.* 188; *Prom.* 209.

2) Calv. Instit. I, 14, 3.

videbatur, unde tandem pater Saturnus ortus est? Ex Urano scilicet. Sed unde Uranus? Non liquet. Wecklein autem putat Aeschylum *Agam.* 156—158 (in ipsius editione v. 178—180), ubi legitur:

οὐδ' ὅστις πάροιθεν ἦν μέγας,
παμμάχῳ θράσει βρύων,
οὐδὲν λέξαι πρὶν ὤν,

quodammodo significasse illam de Urano deo fabulam redolere antiquitatem nec multum fidei habere 1). Quae de Urano sententia tamen latius patet. Nam illud *ὅστις* non ad solum Uranum spectat, sed ad omnes, quicumque ante Iovem fuisse dicuntur, etiam ad Saturnum. Et quasi poëta vereretur, ne quis illud *ὅστις* ad unum Uranum, non ad Saturnum quoque referret, in eandem sententiam pergit (v. 159—160):

ὃς δ' ἔπειτ' ἔφυ, τρια-
κτῆρος οἴχεται τυχών.

Quid igitur? Quamquam iam apparuit Aeschylum nusquam de dei morte loqui, immo immortalitas eorum, sive de Saturno cogitamus, sive de Prometheo, sive de Chirone, ubique, verbo quidem tenus, salva evadit, non tamen talis vita, qualem dii tamquam umbrae in Tartaro degunt, deorum immortalitate digna est. Nam quae tandem manet ista immortalitas, si deus aliquis, quamvis vivus, nullam amplius habet vim, nullo iam munere fungitur, neque homines eius dei iam rationem habent, cum aeterna illius oblivio eos ceperit (*οὐδὲν λέξαι πρὶν ὤν*)? Immortalitas sine his rebus, si subtilius quaerimus, tota ad somnium, ad meram fabulam redit. Quodsi Aeschylus deum mortalem cogitare non potuit, illi autem fabulosi dii, licet immortales fuerint, tamen summam mortis imaginem prae-

1) Dicit ad v. 178 ff. (p. 43): „*ὅστις* allgemein und unbestimmt, da es nachher heisst *οὐδὲ λέξεται πρὶν ὤν* (von seinem Dasein wird nicht einmal mehr die Rede sein). *Der Dichter deutet damit wohl an, dass der Mythus von Uranos ziemlich verblasst und verschollen war.*"

bebant, non dubito affirmare, si minus Aeschyli artem quam veram de numine divino opinionem respiciamus, omnes illos deos, qui Orco conditi sunt, Aeschylo nihil veritatis habuisse, eumque illas de diis Iove antiquioribus fabulas, quibus vulgo fidem habebant, respuisse. Quae opinio congruit cum nostra illius fragmenti interpretatione, nam si *Ζεύς* est genitor sive procreator caeli, aetheris, terrae, totius denique universi, pater potius Caeli et Telluris dicendus est quam nepos.

At quamquam Aeschylus omnia, quae Iovis aeternitati obstabant, removisse videtur, hanc aeternitatem nusquam, quantum sciamus, disertis verbis professus est, neque nobis in animo est plura ex eius tragoediis elicere, quam revera insunt. Hanc igitur de dei aeternitate quaestionem iam missam faciamus, ut tandem altero libro exponamus, quid Aeschylus, cuius dei naturam mente non complexus est, neque, quae est inops hominum intellegentia, complecti potuit, de eius mundi gubernatione virtutibusque, quantum ex mundi gubernatione appareant, crediderit.

LIBER II.

De numinis divini virtutibus, quae in mundi gubernatione elucent.

In initio huius libri haud absurdum fuerit quaerere, quid tandem deo Aeschyleo cum genere humano commune sit, et, si deus talem tantamque habeat potestatem, ut ad suum arbitrium totum universum omnesque res humanas, quin etiam ipsas hominum cogitationes gubernare possit, num id etiam suo iure faciat. Deus enim est totius mundi, i. e. omnium animantium et rerum procreator aut non est. Si affirmatur, ut homines Christiani faciunt, deus est nostrum omnium dominus et eandem in nos habet potestatem, quam *κεραμεὺς* in *πηλόν*, 1) homines vero ita vivere debent, ut sit in Dei optimi maximi honorem. Sin minus, deus non aliud in homines habet ius nisi potentioris. Unicuique tamen perspicuum erit deum, qui sit procreator, et deum, qui universi gubernationem nescio quo iure sibi arrogaverit, eandem potestatem habere mimine posse. Qui enim, ut exemplo utar, deus hominum, quos non ipse procreaverit, sed iam procreatos invenerit, cogitationes, non modo nosse, sed regere, immo iis incutere possit? Quod apud Aeschylum multis locis fieri videmus.

---

1) Ad *Rom.* IX, 20, disertioribus etiam verbis Ierem. XVIII, 1—6; Ies. XLV, 9—10.

Quod ad Aeschylum, constat, ut iam supra apparuit, eum nusquam disertis verbis deum totius universi procreatorem appellavisse, sed, si eius verba semper ad litteram intellegere vellemus, ante Iovem alios deos regnasse et Iovem humanum genus, quod iam Saturno regnante adesset, postquam rex factus esset, delere voluisse, ut ipse aliud genus hominum generaret. Quodsi nihilominus deum Aeschyleum (Iovem dico) non minorem in homines potestatem habere et exercere videbimus, quam nos de nostro Deo confitemur, inde effici poterit, quanta sit vis veritatis, cum Aeschylus, si minus deum fabricatorem ac procreatorem omnium, quae exstant, appellare ausus sit, tamen rebus ipsis et factis se eum talem habere ostenderit. Cum autem prius quaerendum erit, quae sit dei potestas, ut deinde videamus, quomodo deus hac potestate ad mundi gubernationem utatur, primum dicam de eius potentia, deinde de eius scientia et sapientia, quarum illam dei potentiam necessario comitari patebit, haec autem, quippe quae appareat in divina mundi gubernatione, non sine reliquis dei virtutibus, quas ex illa gubernatione cognoscimus, recte percipi potest, quam ob rem cum illo de divina sapientia capite alia, in quibus singulis singulae dei virtutes tractabuntur, coniungam. Sic nascitur hic capitum ordo:

Caput I: De dei Aeschylei potentia.
Caput II: De dei scientia et sapientia.
Caput III: De dei sanctitate, iustitia, veritate.
Caput IV: De dei bonitate.

CAPUT I.

De dei Aeschylei potentia.

Quam *Ζεύς* habeat potestatem in omne animantium genus, tam hominum, quam bestiarum et herbarum, quin etiam in res vita carentes, ut uno denique verbo dicam, in totum universum, iam pp. 24—31 demonstratum est. Cum tamen hic accuratius de numinis divini potestate agendum sit, primum pauca addam, quo clarius fiat, quam late haec dei potestas exerceatur. Iam vidimus 1), quae sit Iovis in homines potestas. Quae infinita dei potestas in singulis tragoediis probatur, et sic quidem, ut deus omnes res humanas, cum singulorum hominum, tum populorum administrare dicatur. In *Persis* enim dicitur in deorum fatis fuisse Persas bella gerere, vel, quod eodem redit, eos bellicosos ac fortes esse (vv. 93—98):

> θεόθεν γὰρ κατὰ μοῖρ'
> ἐκράτησεν τὸ παλαι-
> όν, ἐπέσκηψε δὲ Πέρσαις
> πολέμους πυργοδαΐκτους
> διέπειν ἱππιοχάρμας
> τε κλόνους πόλεών τ' ἀναστάσεις.

Itemque Iovis consilio tribuitur, quod Xerxes tam infeliciter bellum gessit (vv. 730—732):

> *ΔΑ.* φεῦ, ταχεῖά γ' ἦλθε χρησμῶν πρᾶξις, ἐς δὲ παῖδ' ἐμὸν
> Ζεὺς ἀπέσκηψεν τελευτὴν θεσφάτων· ἐγὼ δέ που
> διὰ μακροῦ χρόνου τάδ' ηὔχουν ἐκτελευτήσειν θεούς.

1) Pag. 24—27.

In *Septem* mala, quibus Eteocles et Polynices affecti sunt, a Iove iis data esse dicuntur (vv. 922—923):

ΙΣ. ἔχουσι μοῖραν λαχόντες, [ὦ] μέλεοι,
διοσδότων ἀχέων·

Item in *Agam.* Ζεὺς est, qui Atrei filios ad bellum adversus Paridem excitavit eoque ipso bello Graecis et Troianis tantas calamitates intulit (vv. 60—68):

οὕτω δ' Ἀτρέως παῖδας ὁ κρείσσων
ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ πέμπει ξένιος
Ζεύς, πολυάνορος ἀμφὶ γυναικὸς
πολλὰ παλαίσματα καὶ γυιοβαρῆ
γόνατος κονίαισιν ἐρειδομένου
διακναιομένης τ' ἐν προτελείοις
κάμακος θήσων Δαναοῖσιν
Τρωσί θ' ὁμοίως. ἔστι δ' ὅπη νῦν
ἔστι· τελεῖται δ' ες τὸ πεπρωμένον·

Et rursus in *Choëph.* Orestes Iovis oraculo ad patris ultionem instigatur (*Eum.* 612—614):

Ζεύς, ὡς λέγεις σύ, τόνδε χρησμὸν ὤπασε,
φράζειν Ὀρέστῃ τῷδε τὸν πατρὸς φόνον
πράξαντα μητρὸς μηδαμοῦ τιμὰς νέμειν; 1)

qui deinde in *Eum.* a diis poena malaque conscientia liberatur. Non aliter res se habet in *Suppl.*, ubi Danaides suam salutem ab Iove petunt (vv. 507—511):

ἄναξ ἀνάκτων, μακάρων
μακάρτατε καὶ τελέων
τελειότατον κράτος, ὄλβιε Ζεῦ,
πιθοῦ τε καὶ γενέσθω
ἄλευσον ἀνδρῶν ὕβριν εὖ στυγήσας·

acceptamque Danaus ei tribuit: Ζεὺς δ' ἐπέκρανεν τέλος (v. 604).

1) Quamquam enim Apollinis oraculum est, hic deus nihil vaticinatur nisi Iovis iussu, vv. 606—608:

οὐπώποτ' εἶπον μαντικοῖσιν ἐν θρόνοις,
οὐκ ἀνδρός, οὐ γυναικός, οὐ πόλεως πέρι,
ὃ μὴ κελεύσαι Ζεὺς Ὀλυμπίων πατήρ.

In *Prom.* denique totius generis humani salutem in deorum potestate positam esse videmus, cum Ζεύς id delere voluerit, Prometheus tamen hoc impediverit. Quae omnia Aeschylus paucis verbis comprehendit, dicens (*Agam.* 1448—1449):

ἰὼ ἰή, διαὶ Διὸς παναιτίου πανεργέτα.
τί γὰρ βροτοῖς ἄνευ Διὸς τελεῖται;

Cum igitur res humanae sic eveniant, ut Ζεύς vult, homines autem suas res ratione et consilio gerant, non possunt non ipsae hominum cogitationes et voluntates a deo regi. Quod Aeschylus nimirum intellexit, nam *Pers.* 763 Cyrus dicitur deo non odio fuisse, quippe qui recte saperet:

θεὸς γὰρ οὐκ ἤχθηρεν, ὡς εὔφρων ἔφυ.

Unde efficitur deum potuisse Cyrum, si ei odio fuisset, dementem facere, id quod conceditur *Pers.* 105—106:

δολόμητιν δ' ἀπάταν θεοῦ
τίς ἀνὴρ θνατὸς ἀλύξει;

Etiam *Agam.* 891—892 dicitur, si quis recte sapiat, hoc maximum donum dei esse:

καὶ τὸ μὴ κακῶς φρονεῖν
θεοῦ μέγιστον δῶρον. 1)

Contra tantam potestatem homo nihil valet (*Prom.* 902—905):

ἀπόλεμος ὅδε γ' ὁ πόλεμος, ἄπορα πόριμος,
οὐδ' ἔχω τίς ἂν γενοίμαν·
τὰν Διὸς γὰρ οὐχ ὁρῶ
μῆτιν ὅπα φύγοιμ' ἄν.

Quare Pylades Orestam sic monet (*Choëph.* 895):

ἅπαντας ἐχθροὺς τῶν θεῶν ἡγοῦ πλέον,

i. e. omnes inimicos diis inferiores puta. 2)

---

1) Vide etiam *Pers.* 470, 715—716, 741, 822; *Agam.* 126, 260.

2) Sic enim cum Wecklino vertere haud dubito. Quod primum totus sermonis contextus flagitat, nam Orestes dubius haesitat, utrum voci naturae, ut matri parcat monenti, an minantibus Apollinis verbis potius oboediat, quam ob rem Pylades dicit melius esse omnes alios habere hostes, quam

Eandem ob causam *Sept.* 579 dicitur δεινὸς, ὃς θεοὺς σέβει, et *Suppl.* 719—720 is felix praedicatur, cuius hostis diis quoque odio est:

καλῶς ἂν ἡμῖν ξυμφέροι ταῦτ', ὦ τέκνα,
εἰ σοί τε καὶ θεοῖσιν ἐχθαιροίατο.

Vides igitur deum infinitam in homines habere potestatem. Quale autem dei sit imperium in rerum naturam, p. 27—31 iam ostendimus. Ut ex fine *Promethei* ibi apparuit materiam inertem Iovis nutu atque arbitrio moveri, sic etiam in *Agam.* deorum irae tribuitur tempestas, quam praeco v. 626—645 narrat. Dicit enim (v. 626—630):

πῶς κεδνὰ τοῖς κακοῖσι συμμείξω, λέγων
χειμῶν' Ἀχαιῶν οὐκ ἀμήνιτον θεοῖς;
ξυνώμοσαν γάρ, ὄντες ἔχθιστοι τὸ πρίν,
πῦρ καὶ θάλασσα, καὶ τὰ πίστ' ἐδειξάτην
φθείροντε τὸν δύστηνον Ἀργείων στρατόν.

Et tamen hanc procellam deus ita regere potest, ut, quemcunque vult, e periculo eripiat, nam praeco dicit navem, qua ipse veheretur, a quopiam deo, non homine, esse servatam (vv. 632—641):

---

deos (sic etiam Scholiasta hunc locum interpretari videtur: πλέον λέγε πάντας ἀνθρώπους ἔχειν [ἢ] τοὺς θεοὺς ἐχθρούς). Deinde ex aliis etiam locis, cum Aeschyli tum aliorum, apparet vocem, quae est πλέον, *melius* aut *optabilius* (vel *optabilius quid*) significare posse. Quae significatio occurrit in his verbis: τί (οὐδὲν) πλέον μοί ἐστι (γίγνεται), Xen. Cyr. V, 5, 34 Plat. Symp. 217, c.; Soph. Ant. 268. Cfr. Aeschyli *Pers.* 629—630:

εἰ γάρ τι κακῶν ἄκος οἶδε πλέον,
μόνος ἂν θνητῶν πέρας εἴποι,

et *Suppl.* 279:

διδαχθεὶς [δ'] ἂν τόδ' εἰδείην πλέον.

Hac autem illius versus versione recepta, quidni *Eum.* 224:

σὺ δ' οὖν δίωκε καὶ πόνον πλέον τίθου

πλέον eodem modo vertamus, ita ut τίθου nihil a voce, quae est ἡγοῦ, differat (Cfr. *Agam.* 215—217: λιτὰς.... παρ' οὐδὲν.... ἔθεντο)? Sic sententia fiet optima: laborem optabilius puta (quamquam laborando οὐδὲν πλέον σοι ἔσται), neque quicquam in hoc versu erit mutandum. Quod si minus placeat, cum Aurato πλέω maxime probaverim.

ἡμᾶς γε μὲν δὴ ναῦν τ' ἀκήρατον σκάφος
ἤτοι τις ἐξέκλεψεν ἢ 'ξῃτήσατο
θεός τις, οὐκ ἄνθρωπος, οἴακος θιγών.

Immo tantum abest ut quisquam dubitet, quin deus etiam procellis et frigoribus imperet, ut, qui antea nunquam deos credidisset, tempestate coorta deum imploraret (*Pers.* 493-499):

νυκτὶ δ' ἐν ταύτῃ θεὸς
χειμῶν' ἄωρον ὦρσε, πήγνυσιν δὲ πᾶν
ῥέεθρον ἁγνοῦ Στρυμόνος· θεοὺς δέ τις
τὸ πρὶν νομίζων οὐδαμοῦ τότ' ηὔχετο
λιταῖσι, γαῖαν οὐρανόν τε προσκυνῶν.
ἐπεὶ δὲ πολλὰ θεοκλυτῶν ἐπαύσατο
στρατός, περᾷ κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον.

Deus igitur sua potentia homines et rerum naturam complectitur, idque tam perfecte, ut difficile sit diiudicare, utra ex parte haec divina potentia clarius eluceat.

At potentia dei ab humana potentia non eo tantum differt, quod haec fere nulla est, illa vero infinita, cum deus possit, quodcumque vult, legibusque naturae imperet, sed etiam modo, quo exercetur. Nam si homines aliquid perficere volunt, labore iis ac contentione opus est, deo autem ipsum velle iam est perficere. Sic enim vv. 578—579 ex *Suppl.* accipiendi sunt:

πάρεστι δ' ἔργον ὡς ἔπος
σπεῦσαί τι τῶν βούλιος φέρει φρήν.

Eodem fere redit, quod dicit Apollo *Eum.* 637—641:

ἀνδρὸς δ' ἐπειδὰν αἷμ' ἀνασπάσῃ κόνις
ἅπαξ θανόντος, οὔτις ἔστ' ἀνάστασις.
τούτων ἐπῳδὰς οὐκ ἐποίησεν πατὴρ
οὑμός, τὰ δ' ἄλλα πάντ' ἄνω [τε] καὶ κάτω
στρέφων τίθησιν, οὐδὲν ἀσθμαίνων μένει.

Non igitur deus mortuos excitari voluit (quod si voluisset, poterat), sed omnia alia, i. e., si nulla lex naturae divinitus constituta impedit, regit ad arbitrium nulla virium contentione adhibita.

Et sane, si dei nutu caelum et terra et mare permiscebantur, aut si Xerxes sana mente privabatur, quis Graecorum putaret, quaeso, deo ad has res efficiendas labore et contentione opus fuisse? Sunt quidem dii deaeque in Aeschyli fabulis, quorum potentia admodum parva videtur, ut e. gr. Erinyum, quippe quae ab minoribus diis ut infantes tractentur, sed haec magis ad Aeschyli artem pertinent, et praeterea hic non amplius quaeritur, quomodo divina potentia inter deos divisa sit, sed hoc potius, quanta sit summa huius divinae potentiae. Neque dubito affirmare talem potentiam, qualem ab Aeschylo divino numini attribui videmus, infinitam esse atque fere eandem, quam Christiani suo deo summo iure attribuunt, quamque theologi omnipotentiam vocare solent. 1)

---

1) Vide G. Dronke, Die religiösen und sittlichen Vorstellungen des Aeschylos und Sophocles, p. 7. Cfr. p. 24, annot. I, II. — Iovis cognomina, ad eius potentiam spectantia, vide p. 30—31.

CAPUT II.

De dei scientia et sapientia.

Electra in *Choëph.* cum dubia haesitat, quid ille cincinnus, in patris sepulcro ab ipsa repertus, sibi velit, dicit v. 193:

ἀλλ' εἰδότας μὲν τοὺς θεοὺς καλούμεθα.

Et sic ubique in Aeschyli tragoediis deo hoc εἰδέναι tribuitur. Nec tamen τὸ εἰδέναι Aeschylo semper idem significat, nam huius vocis significatio alia est, ubi aliud habet obiectum. Quod Aeschylus disertis verbis sic expressit (Fragm. 390, pag. 113 edit. Nauck):

ὁ χρήσιμ' εἰδώς, οὐχ ὁ πόλλ' εἰδὼς σοφός. 1)

Ex quo perspicuum est, quid Aeschylo inter scientiam et sapientiam interesse videretur. Multa enim scire ei est scientia, utilia autem scire sapientia. Et recte quidem. Nam aliqua res utilis est, si per eam bonum quid assequi possumus. Si quis autem rectam novit viam, qua bona quaedam assequatur, hoc ipsum sapientiae proprium est. Unde efficitur utilium rerum notitiam esse sapientiam. Si porro quaeremus, quaenam res sint utiles, inveniemus, rem aliquam non quidem per se utilem esse, sed tum demum utilitatem afferre, si ea recte uti sciamus. Primum igitur multas res scire debemus, deinde sapientia nobis opus est, ut ex iis rebus fructumquam maximum capiamus. Itemque divina sapientia ne cogitari quidem potest sine dei scientia. Haec igitur quae sit, prius videamus, ut deinde de dei sapientia dicamus.

---

1) Quod *Prom.* 1037 εὐβουλία sapientis propria esse dicitur, eodem redit.

Priore iam capite ostendi dei potentiam ab Aeschylo infinitam cogitari, deumque per hanc potentiam homines et quod ad corpora eorum et quod ad mentes ita regere, ut quaecumque ab hominibus geruntur, dei voluntate fiant. Quodsi omnia hominum facta et cogitationes divino impulsu fiunt, deum haec facta et cogitationes omnes scire necesse est. Sic ex infinita dei potentia derivatur infinita eius scientia. Quam revera infinitam esse inde apparet, quod deus et praeterita et praesentia et futura sua divina mente complectitur. Deus enim poenas priorum generum a posteris repetere dicitur, e. gr. *Sept.* 725—727:

παλαιγενῆ γὰρ λέγω
παρβασίαν ὠκύποινον·
αἰῶνα δ' ἐς τρίτον μένει·

Et *Suppl.* 417—420:

ἴσθι γάρ, παισὶ τάδε καὶ δόμοις,
ὁπότερ' ἂν κτίσῃς, μένει δορὶ τίνειν
ὁμοίαν θέμιν.
τάδε φράσαι δίκαια Διόθεν κράτη.

In eandem sententiam Minerva loquitur *Eum.* 911—916:

πάντα γὰρ αὗται (αἱ Ἐρινύες scil.) τὰ κατ' ἀνθρώπους
ἔλαχον διέπειν.
ὁ δὲ μὴ κύρσας βαρέων τούτων
οὐκ οἶδεν ὅθεν πληγαὶ βιότου.
τὰ γὰρ ἐκ προτέρων ἀπλακήματά νιν
πρὸς τάσδ' ἀπάγει·

Quod deus facere non potest, nisi priorum saeculorum perfectam habet notitiam. Deum futura scire ex eo patet, quod eius μοῖρα multis iam ante saeculis constituta fuerit, quam id, quod constitutum esset, accideret (memento illud θεόθεν γὰρ κατὰ μοῖρ' ἐκράτησεν τὸ παλαιόν *Pers.* 93—95), quodque ea, quae deus constituisset, aliquo tempore ante praedixerit per oracula. Dareus enim dicit (*Pers.* 730—732):

φεῦ, ταχεῖά γ' ἦλθε χρησμῶν πρᾶξις, ἐς δὲ παῖδ' ἐμὸν
Ζεὺς ἀπέσκηψεν τελευτὴν θεσφάτων· ἐγὼ δέ που
διὰ μακροῦ χρόνου τάδ' ηὔχουν ἐκτελευτήσειν θεούς.

Quamvis igitur celeriter haec evenerint, Dareus tamen credebat deum ea post longum demum tempus perficere potuisse, id enim sperabat.

Quod ad praesens tempus, dei scientiam infinitam putari inde efficitur 1), quod omnes fere homines Aeschylei deo precantur, quodque per artem, quam Graeci *μαντικὴν* appellabant, quaerebatur, quae dei esset voluntas. Nam cum deum imploramus, credimus deum nos ipsos nosse et audire precantes et nostrarum rerum perfectam habere notitiam, quod idem de arte vaticinandi dici potest.

Vides igitur illud humanum *πολλὰ εἰδέναι* apud deum in *πάντα εἰδέναι* extendi. Quare quod ad divinam scientiam, haec minime impedit, quin deus perfectissimam etiam habeat sapientiam. Sed de hac iam videamus, quid in Aeschyli tragoediis inveniatur.

Qua homines ornati sunt sapientia, hanc omnem a deo acceperunt, nam nihil cogitant aut agunt, nisi divinitus instigati (Cfr. *Pers.* 763 et *Agam.* 891—892, quos versus p. 108 laudavi). Unde patet deum omnis sapientiae fontem et auctorem esse. Et sane Apollo *σοφὸς* dicitur *Eum.* 275:

φωνεῖν ἐτάχθην πρὸς σοφοῦ διδασκάλου·

item Minerva *Eum.* 427:

ΧΟ. πῶς δή; δίδαξον· τῶν σοφῶν γὰρ οὐ πένῃ

Quae tamen se suam sapientiam ab Iove accepisse dicit *Eum.* 834:

φρονεῖν δὲ κἀμοὶ Ζεὺς ἔδωκεν οὐ κακῶς. 2)

Ζεὺς igitur summam habet sapientiam, quam ob rem *Prom.* 61—62 *Κράτος* dicit Prometheum minus sapere Iove:

καὶ τήνδε νῦν πόρπασον ἀσφαλῶς, ἵνα
μάθῃ σοφιστὴς ὢν Διὸς νωθέστερος.

Quae autem est ista Iovis sapientia? Hoc non facile est

---

1) Eam iam ex dei potentia derivatam vide p. 113.

2) Sic Apollo eo tantum *σοφὸς διδάσκαλος* fit, quod *Ζεὺς* eius *διδάσκαλος* est.

perquirere, nam qui possint homines, quae eorum est inops mens atque ratio, divinam rationem perspicere? Quod Aeschylus quoque sensit, cum *Suppl.* 1015—1016 chori partem exclamantem fecerit:

Διὸς οὐ παρβατός ἐστιν
μεγάλα φρὴν ἀπέρατος·

et ibid. 1024—1025:

τί δὲ μέλλω φρένα Δίαν
καθορᾶν, ὄψιν ἄβυσσον;

Nihilominus multa apud Aeschylum occurrunt, quae ad divinam sapientiam pertinent. Deus enim velle dicitur homines bonos, clementes, hospitales, iustos, utque haec omnia uno verbo comprehendam 1), pios esse. Itaque Electra dubitat, num diis pia videatur, si eos oret, ut mittant aliquem, qui matrem mutua morte ulciscatur (*Choëph.* 115):

καὶ ταῦτα μοὐστὶν εὐσεβῆ θεῶν πάρα;

Sic autem homines minime animo affecti sunt, ut per se ipsi sint pii ac iusti:

τίς γὰρ δεδοικὼς μηδὲν ἔνδικος βροτῶν; 2)

Quam ob rem hoc maxime divinae sapientiae proprium esse debebit, ut modo homines cogat ita vivere, uti decet, modo eos ita afficiat, ut intellegere discant se non impune contra divinas leges agere posse exque sola harum legum oboedientia felicitatem nasci. Illud autem est divini in homines amoris, hoc divinae iustitiae. Quod utrumque Aeschylus deo attribuit. Cfr. e. gr. *Agam.* 161—168:

Ζῆνα δέ τις προφρόνως ἐπινίκια κλάζων
τεύξεται φρενῶν τὸ πᾶν·
τὸν φρονεῖν βροτοὺς ὁδώ-
σαντα, τὸν πάθει μάθος
θέντα κυρίως ἔχειν.
στάζει δ' ἔν θ' ὕπνῳ πρὸ καρδίας
μνησιπήμων πόνος· καὶ παρ' ἄ-
κοντας ἦλθε σωφρονεῖν.

---

1) Vide p. 122.
2) *Eum.* 689.

Quod autem deus omnia singulorum hominum tempora et aetates constituit, ut legimus fragm. 362 (pag. 108 edit. Nauck):

> *ἀλλ' οὔτε πολλὰ τραύματ' ἐν στέρνοις λαβὼν*
> *θνήσκει τις, εἰ μὴ τέρμα συντρέχοι βίου,*
> *οὔτ' ἐν στέγῃ τις ἥμενος παρ' ἑστίᾳ*
> *φεύγει τι μᾶλλον τὸν πεπρωμένον μόρον,* 1)

qui hoc Aeschylus non potius infinitae sapientiae divinae, quam caeco arbitrio attribuerit! Videmus igitur hominibus omnia a deo contingere, deumque eos aut ita regere, ut ad pie beateque vivendum educentur, aut, si in sua improbitate perseverent, quamvis interdum sero, morte gravibusque post mortem poenis eos afficere. Quodsi hominibus sancte et iuste vivendum est, quia deus hoc ita vult, hae virtutes in deo ipso omnino non desiderari debent 2). De his igitur in reliquis capitibus nobis dicendum erit.

---

1) Ab Iove enim *τὸ πεπρωμένον* proficiscitur.

2) Cfr. Petri epist. I, 1, 16: (*διότι γέγραπται*) *Ἅγιοι γένεσθε, ὅτι ἐγὼ ἅγιός εἰμι.* Et Levit. XI, 44, 45; XIX, 2, XX, 7.

CAPUT III.

DE DEI SANCTITATE, IUSTITIA, VERITATE.

Nonnulli dii in Aeschyli tragoediis *ἁγνοὶ* appellantur, i. e. puri, intacti, nulla affecti macula, sancti. Unde efficitur sanctitatem numinis divini propriam cogitari. Nam licet homines quoque interdum *ἁγνοὶ* vocentur, ut *Agam.* 232: *ἁγνὰ ἀταύρωτος* 1) pura virgo, *Suppl.* 217—218:

> *πῶς δ' ἂν γαμῶν ἄκουσαν ἄκοντος πάρα*
> *ἁγνὸς γένοιτ' ἄν;*

et Orestes post expiationem se *ἁγνὸν στόμα* habere dicat (*Eum.* 283), quo significet se ipsum iam *ἁγνὸν* factum esse, haec tamen humana sanctitas vel puritas ad unum tantum factum aut condicionem spectat minimeque ad naturam humanam pertinet. Deus autem peccatum odisse dicitur, e. gr. *Suppl.* 73 chorus deos his verbis alloquitur:

> *ὕβριν δ' ἐτύμως στυγοῦντες,*

i. e.: vos, qui insolentiam vere odistis, et permulti loci adduci possint, ubi dii dicuntur peccatores odisse, quam ob rem Clytaemestra *θεῶν στύγος* appellatur (*Choëph.* 1025).

Si autem quaerimus, qua ex parte Aeschylus imprimis divino numini sanctitatem tribuerit, non parvi videtur esse momenti, quod hoc *ἁγνοῦ* cognomine *Ζεύς,* 2) *Δίκη,* 3) *Ἀπόλλων* 4) compellantur. Inferni quidem dii et Artemis

---

1) His verbis Klausen Theol. p. 98 nota 180) Dianam significari vult.

2) *Suppl.* 625.

3) *Suppl.* 132—133.

4) *Suppl.* 204.

eodem ornantur nomine, 1) sed illi documento sunt numen divinum omnino sanctum habitum esse, haec autem utroque loco, ubi *ἁγνὰ* appellatur, *τῆς Δίκης* munere fungens inducitur. 2)

Ζεὺς autem, qui Aeschylo verissimus deus erat, debebat, si quis alius, ei sanctus videri (nisi omnino divino numini sanctitatem abrogaret, quod non fecit).

Apollo, ille *Διὸς προφήτης*, 3) sanctus appellatur, quia eius oracula, quae ab Iove ei dantur, semper vera ac iusta sunt, quam ob rem oracula ipsa sancta dicuntur. 4) Iustitia (*Δίκη*) denique, illa Iovis filia, sancta est, quia per eam apparet Iovem impietatem et improbitatem odisse, eamque ob rem earum auctores punire. In hac autem ipsa divina iustitia ac veritate tractanda nonnullae res occurrunt, quae illi sanctitati obtrectare videntur, cum deus modo illa vetere

---

1) *Pers.* 626—628:

ἀλλὰ χθόνιοι δαίμονες ἁγνοί,
Γῆ τε καὶ Ἑρμῆ, βασιλεῦ τ' ἐνέρων,
πέμψατ' ἔνερθεν ψυχὴν ἐς φῶς·

Suppl. 997—998:

ἐπίδοι δ' Ἄρτεμις ἁγνὰ
στόλον οἰκτιζομένα,

Agam. 127—129:

οἴκῳ γὰρ ἐπίφθονος Ἄρτεμις ἁγνὰ
πτανοῖσιν κυσὶ πατρὸς
αὐτότοκον πρὸ λόχου μογερὰν πτάκα θυομένοισιν·

2) In eandem sententiam Wecklein, qui ad v. 140 annotat: „*ἁγνή* und darum eine Feindin solchen Greuels." Non igitur Klausenio concedo illud *ἁγνὰ* ad Dianae virginitatem spectare (Theol. p. 99). Nam Minerva, ipsa quoque virgo, non *ἁγνὰ* dicitur, matris Oedipodis contra, quae non erat virgo, *ἁγνὰ ἄρουρα* fuisse dicitur. Quamquam haud nego hoc cognomen „casto frigidoque lunae splendori" originem debere.

3) *Eum.* 19:

Διὸς προφήτης δ' ἐστὶ Λοξίας πατρός.

4) Aut potius, quod tamen eodem redit, eorum sanctitas periclitari dicitur a Diris *Eum.* 706:

μαντεῖα δ' οὐκέθ' ἁγνὰ μαντεύσῃ νέμων.

lege (δράσαντι παθεῖν) 1) neglecta eos malis afficere videatur, qui nullam mereantur poenam, et id quidem aut nulla re cogente (nisi crudelitate), aut propter nimiam hominum felicitatem (φθόνος); modo fraude et dolo uti dicatur, ubi scil. nulla iusta causa puniendi exstat, ut homines ad ea facta adducantur, quae gravibus poenis digna sint. Quam ob rem prius videamus, quid Aeschylo de divina iustitia visum sit, ut deinde de dei veritate agamus.

In mundi generisque humani gubernatione nulla praeter dei potentiam virtus divina tam praeclare in Aeschyli tragoediis celebrata est, quam iustitia. Occurrunt quidem loci, ubi haec iustitia desiderari videtur, quo e. gr. pertinet illa Apollinis peroratio ἔξω τοῦ πράγματος *Eum.* 657—663:

ἐγὼ δέ, Παλλάς, τἄλλα θ' ὡς ἐπίσταμαι
τὸ σὸν πόλισμα καὶ στρατὸν τεύξω μέγαν,
καὶ τόνδ' ἔπεμψα σῶν δόμων ἐφέστιον,
ὅπως γένοιτο πιστὸς ἐς τὸ πᾶν χρόνου
καὶ τόνδ' ἐπικτήσαιο σύμμαχον, θεά,
καὶ τοὺς ἔπειτα, καὶ τάδ' αἰανῶς μένοι
στέργειν τὰ πιστὰ τῶνδε τοὺς ἐπισπόρους.

Et Minerva respondet se reum absolvere non quod sic ei iustum videatur, sed quia matrem non habuit genusque masculinum valde diligit, nisi quod caelebs manere vult *Eum.* 724—728:

ἐμὸν τόδ' ἔργον, λοισθίαν κρῖναι δίκην.
ψῆφον δ' Ὀρέστῃ τήνδ' ἐγὼ προσθήσομαι.

---

1) *Choëph.* 305; *Pers.* 804—805, passim. Quae lex, ab Aeschylo statuta, non confundenda est cum iis, quae leguntur Matth. V, 38: Ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη, Ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ καὶ ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος. Aeschylus enim illam legem ad divinam ultionem referebat (cfr. haec chori verba *Agam.* 1522—1523:

μίμνει δὲ μίμνοντος ἐν θρόνῳ Διὸς
παθεῖν τὸν ἔρξαντα· θέσμιον γάρ.

At verba quae Iesus affert ad humanam ultionem spectant.

μήτηρ γάρ οὔτις ἐστὶν ἥ μ' ἐγείνατο,
τὸ δ' ἄρσεν αἰνῶ πάντα, πλὴν γάμου τυχεῖν,
ἅπαντι θυμῷ, κάρτα δ' εἰμὶ τοῦ πατρός.

Ipse denique *Ζεὺς* videtur iniuste egisse, cum patrem regno caelesti eiecit, cuius rei Erinyes mentionem faciunt *Eum.* 630—631:

πατρὸς προτιμᾷ Ζεὺς μόρον τῷ σῷ λόγῳ,
αὐτὸς δ' ἔδησε πατέρα πρεσβύτην Κρόνον.

Sed quod ad primum de Apolline locum, memoria tenendum est, haec verba nihil nisi additamentum esse eorum, quae antecedunt, quibus Apollo iam efficere conatus est causam Orestae iustam esse, ita ut haec postrema verba non magni sint momenti. Quia tamen talia *ἔξω τοῦ πράγματος* dicta in Areopago non admittebantur, fortasse recte Weil suspicatus est illa Apollinis verba esse delenda. 1) Minervae autem verba non videntur significare eam Orestam absolvere, quod ipsa non matrem habuerit atque hanc ob causam matres omnino non curet, sed id potius, patris causam, quia hic rectius liberorum genitor appelletur quam mater huiusque condicio multo quam illius inferior sit, longe matris causae anteponendam esse.

Ad tertium tandem locum moneo Iovem, patrem *Δίκης*, si quis alius deus, Aeschylo iustum visum esse Apollinemque hanc Iovis iustitiam tueri eo, quod dicat vincula solvi posse (quae sane in *Prom. liberato* solvuntur); iustas porro causas cogitari posse, cur pater a filio vinciatur; deos denique antiquiores Aeschylo haud religioni fuisse (vide p. 102—103). Sed iam videamus illa dea *Δίκη* quid sibi velit.

Δίκη igitur filia dicitur Iovis *Sept.* 645: *ἡ Διὸς παῖς παρθένος Δίκη* et *Choëph.* 941—942:

Διὸς κόρα· Δίκαν δέ νιν
προσαγορεύομεν βροτοὶ τυχόντες καλῶς.

Et quasi revera divina esset persona, ei ipsi munus

---

1) Sic etiam Wecklein, Aesch. Orestie, p. 330 (Anhang ad vv. 670—676).

iustitiae exercendae tribuitur e. gr. *Agam.* 237—238, 740—746, *Choëph.* 302—303; *Suppl.* 674—675, passim. Cum tamen Ζεὺς et alii dii semper ipsi iustitiam exerceant, inde apparet *Δίκην* non in deorum numero collocari, sed *προσωποποιίαν* poëticam esse. 1) Quod Iovis filia dicitur, hoc argumento est, Iovem Aeschylo revera unicum deum esse, qui iustitiam exerceat, id est, unicum, qui mundum gubernet, unicum denique, qui revera exstet.

Deus igitur, qui est rector et gubernator generis humani, hominibus quasdam leges dedit, quibus oboedirent. Aeschylus istas leges *θέσμια Δίκης* vocat (*Suppl.* 674—675), ab Antigona apud Sophoclem *ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν νόμιμα* appellantur. 2) Quibus si quis semper pareret, apud talem hominem perfecta iustitia humana esset, quae a Cicerone dicitur esse „animi affectio suum cuique tribuens". 3) Quid igitur apud Aeschylum illud *suum cuique* est? Primum quod ad deum *εὐσέβεια*, qua virtute omnes aliae continentur, e. g. is, qui supplices defendit, *εὐσεβής* appellatur, ut Pelasgus Danaides rogat *Suppl.* 326:

πῶς οὖν πρὸς ὑμᾶς εὐσεβὴς ἐγὼ πέλω;

---

1) Cfr. Naegelsbach, N.-H. Theol. p. 346: „So ist die allegorische Dike, wenn diese straft, z. B. Aesch. Choëph. 949 (936) ff., lediglich Personification der Strafgerechtigkeit *des Zeus*, dessen Tochter sie ist und Beisitzerin." — Et Platner, p. 50: „Dass Jupiter hin und wieder mit der Gerechtigkeit identifiziert, an andern Stellen aber dieselbe der *δίκη* und beziehungsweise den Erinyen zugewiesen wird, diese Verschiedenheit kann um so weniger auffallen oder Anstoss geben, da gewisse Eigenschaften bald in eine Gottheit verlegt, bald in besondern Personificationen aufgeführt werden. Es würde widersprechend sein, wenn Jupiter als Regent der göttlichen und menschlichen Angelegenheiten, als Vorstand der Weltordnung gälte und der ideelle Faktor derselben, die Gerechtigkeit nicht in das Gebiet seiner Herrschaft fiele."

2) Soph. *Ant.* 454—455.

3) De Finibus bon. et mal. V, 23. Hoc *suum cuique* Cicero ipse sic explicat (Part. Orat. c. XXII): „erga deos religio, erga parentes pietas, creditis in rebus fides, in moderatione animadvertendi lenitas, amicitia in benevolentia."

et Electra ubi haesitat, an inimicum malis afficere fas sit, rogat chorum *Choëph.* 115:

καὶ ταῦτά μοὐστὶν εὐσεβῆ θεῶν πάρα;

Itaque ex impietate adversus deos vitia nascuntur ut superbia *Eum.* 526:

δυσσεβίας μὲν ὕβρις τέκος ὡς ἐτύμως·

Apparet igitur *εὐσέβειαν* non solum cultum deorum significare, sed etiam in eo positam esse, ut homines iis legibus, quas deus societati humanae dederit, pareant, ita tamen ut *εὐσέβεια summa virtus* (*non summa virtutum*) *atque omnium aliarum virtutum causa sit ac parens.* Quas inter reliquas virtutes, quae ex pietate erga deum nascuntur, hae praeter alias sunt commemorandae: pietas erga parentes, 1) amor patriae, 2) supplices atque hospites defendere

---

1) *Suppl.* 673—675:

τὸ γὰρ τεκόντων σέβας
τρίτον τόδ' ἐν θεσμίοις
Δίκας γέγραπται μεγιστοτίμου.

Ad quem locum Scholiasta annotat: *πρῶτον θεούς, δεύτερον νόμους, τρίτον δὲ τόδε, τὸ τοὺς γονεῖς τιμᾶν.* Aeschylus tamen videtur illa tria significasse *Eum.* 265—268:

ὄψει δὲ κεἴ τις ἄλλος ἤλιτεν βροτῶν
ἢ θεὸν ἢ ξένον τιν' ἀσεβῶν
ἢ τοκέας φίλους,
ἔχονθ' ἕκαστον τῆς δίκης ἐπάξια.

Hae enim três virtutes si recte coluntur, reliquae omnes neglegi minime possunt. Quam ob rem in Sacris quoque Libris tota lex in haec duo contrahitur Luc. X, 27: *Ἀγαπήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου· καὶ τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν.*

2) *Sept.* 563—569:

ἦ τοῖον ἔργον καὶ θεοῖσι προσφιλές,
καλόν τ' ἀκοῦσαι καὶ λέγειν μεθυστέροις,
πόλιν πατρῴαν καὶ θεοὺς τοὺς ἐγγενεῖς
πορθεῖν, στράτευμ' ἐπακτὸν ἐμβεβληκότα;
μητρός (i. e. *πατρίδος*) *τε πηγὴν τίς κατασβέσει δίκη,*
πατρὶς δὲ γαῖα σῆς ὑπὸ σπουδῆς δορὶ
ἁλοῦσα πῶς σοι ξύμμαχος γενήσεται;

Cfr. *Sept.* 1030—1034.

et apud se recipere, 1) mansuetudine uti in subditos, 2) in omnibus denique rebus sibi temperare. 3) In talibus legibus dandis nemo dubitare potest, opinor, quin deus Aeschyleus sit iustus. Uniuscuiusque enim conscientia testatur has leges optimas esse. Hic tamen de uno loco est dicendum, qui multos iam offendit. Chorus enim in *Choëph.* contendit per deos licere inimicos ulcisci (vv. 111—116):

HΛ. τί φῶ; δίδασκ' ἄπειρον ἐξηγουμένη.
XO. ἐλθεῖν τιν' αὐτοῖς δαίμον' ἢ βροτῶν τινα
HΛ. πότερα δικαστὴν ἢ δικηφόρον λέγεις;
XO. ἁπλῶς τι φράζουσ', ὅστις ἀνταποκτενεῖ.
HΛ. καὶ ταῦτά μοὐστὶν εὐσεβῆ θεῶν πάρα;
XO. πῶς δ' οὔ, τὸν ἐχθρὸν ἀνταμείβεσθαι κακοῖς;

Iam statim concedo hoc adversus inimicos odium rem fuisse tam popularem, ut Aeschylus, si huic rei minus indulgeret, chorum contrariam opinionem profitentem facere debuisset, quippe qui pulchre sciret, omnia, quae a choro dicerentur, magnae apud auditores esse auctoritatis. At non fecit, neque usquam in suis tragoediis fecisse videtur. Unde colligi licet, eum non aliter ac chorum sensisse. Hanc autem rem multi vehementer vituperaverunt, e. gr. E. Buchholz, qui de hac re dicit: 4) „An die Spitze dieser Betrachtung stellen wir ein paar Dogmen, in denen der heidnisch polytheistische Standpunkt des Dichters *schroff hervortritt und einen schneidenden Gegensatz zur christlichen Lehre bildet.* Dahin gehört zunächst jener oberste Grundsatz der hellenischen Moral: Hasse den Feind, vergilt Böses mit Bösem!"

Memoria tamen tenendum est, odium in hostes esse rem

---

1) Vide pag. 122, annot. I (*Eum.* 265—268) et passim.

2) *Agam.* 915—916:

τὸν κραθοῦντα μαλθακῶς
θεὸς πρόσωθεν εὐμενῶς προσδέρκεται.

3) *Eum.* 523:

παντὶ μέσῳ τὸ κράτος θεὸς ὤπασεν.

4) Die sittliche Weltanschauung des Pindarus und Aeschylus, Leipzig 1869, p. 187—188.

naturae humanae ita convenientem, ut apud populos christianos, quamquam hi, meliorem acceperunt doctrinam, 1) in vita communi amor inimicorum totus fere desideretur, neque apud eos, qui non solo nomine, sed revera Christianos se esse gestiunt, hic amor quasi altera natura facta sit, sed heu! nimis difficilis res esse saepe videatur. Quodsi populi christiani hanc doctrinam sibi vindicant, nec tamen in communi vita eius memores solent esse, quid mirum, si Graeci, et inter Graecos Aeschylus, qui tales videri nollent, quales esse non possent, illud odium in inimicos palam professi sunt?

Praeterea Aeschylus putasse videtur ultionem inimicorum a diis hominibus mandatam esse, cum e. gr. dicit Agamemnonem a Iove missum esse, ut Paridem propter raptam Helenam ulcisceretur *Agam.* 60—62:

οὕτω δ' Ἀτρέως παῖδας ὁ κρείσσων
ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ πέμπει ξένιος
Ζεύς,

et Orestam ab Apolline gravibus poenis propositis patrem ulcisci iussum esse (*Choëph.* 261—289; 1026—1030).

Quod denique summi est momenti, temporibus iis, quibus hae personae tragicae finguntur vixisse, suae quisque causae erat vindex, nec dum iudices erant „*δίκας κρίνοντες αἵματος χυτοῦ*" (*Eum.* 672).

Quarum omnium rerum ratione habita potius mirandum videtur Electram, i. e. Aeschylum in dubitationem venisse, utrum fas esset hostes ulcisci necne (v. 115), quam vituperandum, quod haesitanti Electrae responsum datur affirmativum. 2)

---

1) Luc. VI, 27, 28. *'Αγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς, εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμῖν καὶ προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς.*" Et Matth. V, 44; Rom. XII, 20.

2) Matth. V, 43 legitur: *'Ηκούσατε ὅτι ἐρρέθη, 'Αγαπήσεις τὸν πλησίον σου, καὶ μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου.* Aeschylum autem hoc idem docere Buchholz contendit, sed minus recte, nam poëta dicit non cum pietate erga deum pugnare hcstibus male facere, nec tamen hanc rem praecipit.

Leges igitur, quas deus in hominum mentibus insculpsit, sunt iustae; hoc tantum addubitari possit, nonne iis obsequi potentiam humanam excedat. Quod ad naturam facultatemque humanam, apparet has leges non graviores esse, quam ut homines iis pareant, nam partim hoc faciunt, ut e. gr. Amphiaraus appellatur *σώφρων δίκαιος ἀγαθὸς εὐσεβὴς ἀνήρ* (*Sept.* 593), partim vituperantur, quod his legibus non oboediant. At videtur interdum homo hac sua oboediendi facultate uti minime posse, quia non liber sit in agendo, sed divina necessitate recte aut male agere cogatur. Huc pertinet illa *θεοβλάβεια* et *ἄτα θεόθεν* vel *ἀπάτη θεοῦ* et *ἀλάστωρ*, quae viris doctis tantas attulerunt difficultates. Supra iam vidimus (p. 106—109) nihil ab hominibus fieri, quin a deo (Iove) sit provisum. Ibidem etiam demonstravimus, Xerxem a deo instigatum fuisse, ut illud nefarium bellum Graecis inferret (sic putat nuntius *Pers.* 351—352, Atossa v. 470—471, chorus v. 513—514, Dareus denique v. 716, 730—732, 741).

Attamen aliis locis Xerxes ipse auctor calamitatis appellatur. V. 733 e. gr. Dareus dicit:

ἀλλ' ὅταν σπεύδῃ τις αὐτός, χὠ θεὸς συνάπτεται.

Item Xerxes, quamvis toto hoc contra Graecos bello sit *θεοβλαβής*, impietatis adversus deos, imprimis Neptunum, accusatur, quod extra fines quasi naturales imperii a diis constitutos egredi voluerit *Pers.* 740—741:

θνητὸς ὢν θεῶν δὲ πάντων ᾤετ', οὐκ εὐβουλίᾳ
καὶ Ποσειδῶνος κρατήσειν.

Sed statim sequitur v. 741—742:

πῶς τάδ' οὐ νόσος φρενῶν
εἶχε παῖδ' ἐμόν;

quae verba non a Dareo dicuntur, ut *Platner* vult 1), „ohne dass dabei einer göttlichen Einwirkung gedacht wird", nam Dareus exclamat v. 716: 2

φεῦ, μέγας τις ἦλθε δαίμων, ὥστε μὴ φρονεῖν καλῶς.

1) Ueber die Idee der Gerechtigkeit in Aeschylus und Sophocles, p. 63.
2) Cfr. locos supra laudatos.

Porro Xerxi imputatur, quod eius exercitus signa deorum abripuit templaque incendit (v. 800—803):

οἳ γῆν μολόντες Ἑλλάδ' οὐ θεῶν βρέτη
ᾐδοῦντο συλᾶν οὐδὲ πιμπράναι νεώς·
βωμοὶ δ' ἄιστοι, δαιμόνων [θ'] ἱδρύματα
πρόρριζα φύρδην ἐξανέστραπται βάθρων.

Quam ob rem „κακῶς δράσαντες οὐκ ἐλάσσονα πάσχουσι (v. 804—805) eorumque cadavera coacervata tertiam aetatem etiam docent (vv. 811—819):

ὡς οὐχ ὑπέρφευ θνητὸν ὄντα χρὴ φρονεῖν.
ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσ' ἐκάρπωσε στάχυν
ἄτης, ὅθεν πάγκλαυτον ἐξαμᾷ θέρος.
τοιαῦθ' ὁρῶντες τῶνδε τἀπιτίμια
μέμνησθ' Ἀθηνῶν Ἑλλάδος τε, μηδέ τις
ὑπερφρονήσας τὸν παρόντα δαίμονα
ἄλλων ἐρασθεὶς ὄλβον ἐκχέῃ μέγαν.
Ζεύς τοι κολαστὴς τῶν ὑπερκόμπων ἄγαν
φρονημάτων ἔπεστιν, εὔθυνος βαρύς.

Aeschylus igitur ubique necessitatem divinam (θεοβλάβειαν) tuetur et tamen docet homini suorum factorum rationem reddendam esse, quasi liber esset in agendo. Quam necessitatem divinam et humanam libertatem mirum in modum inter se coniungere videtur *Pers.* 820—822. Hoc loco Dareus dicit:

πρὸς ταῦτ' ἐκεῖνον σωφρονεῖν κεχρημένοι
πινύσκετ' εὐλόγοισι νουθετήμασιν,
λῆξαι θεοβλαβοῦνθ' ὑπερκόμπῳ θράσει.

Nam licet verbum quod est λῆξαι per se spectatum non, ut Platnero videtur, 1) ad liberum hominum arbitrium

---

1) Platner de hoc loco scribit (opere laud. p. 63—64): „In den Persern äuszert Darius, der Chor solle durch weise Ermahnungen den Xerxes dahin vermögen: λῆξαι θεοβλαβοῦντ' ὑπερκόμπῳ θράσει." Nach der Aeusserung der Atossa hat er die Rathschläge schlechter Menschen befolgt (752). Das λῆξαι fällt der Selbstbestimmung zu und es kann daher, wenn Aeschylus nicht sich selbst widersprechen soll, nicht eine θεοβλάβεια gemeint sein, welche den Menschen dergestalt mit Blindheit schlägt und bethört, dass er

pertineat, tamen Dareus hic loquitur, quasi ad sanam mentem redire in ipsius Xerxis, quamvis *θεοβλαβοῦντος*, potestate esset positum.

Eadem notio, quam habet *θεοβλάβεια*, inest in voce, quae est *ἄτη*, ubi scil. *ἄτη*, ad hominis mentem refertur et a deo proficiscitur ut *Agam.* 126—127:
οἷον μή τις ἄτα θεόθεν κνεφάσῃ προτυπὲν στόμιον μέγα Τροίας στρατωθέν.

Βλαβὴ enim idem significat quod *ἄτη* (scil. damnum), ergo *θεοβλάβεια* idem significat quod *ἄτα θεόθεν.*

Sed etiam disertius divinus impulsus significatur, ubi de *divina fraude* sermo est.

Vir *θεοβλαβής* enim sana mente privatus est, quo fit, ut bonas et malas actiones non amplius discernere possit. Per fraudem autem deus efficit, ut homo aliquam actionem bonam et utilem esse putet et hanc ob rem perficiat, quamvis sit mala et impia 1). Et talem divinam fraudem nemo potest effugere, *Pers.* 105—106:

δολόμητιν δ' ἀπάταν θεοῦ
τίς ἀνὴρ θνατὸς ἀλύξει;

Sed ut Aeschylus *θεοβλαβείας* culpam ad hominem refert (vide supra) atque ita iustitiam (i. e. sanctitatem) divinam

---

zwischen gut und schlecht nicht mehr unterscheiden kann, und die Herrschaft über unlautere Neigungen verliert. Die Handlungsweise des Xerxes, seine *ὕβρις*, wird 749 *νόσος φρενῶν* genannt, ohne dass dabei einer göttlichen Einwirkung gedacht wird. Nimmt man nun die Hindeutung auf die schlechten Rathschläge hinzu und dass Xerxes sich selbst als Urheber des Ungeschicks anklagt, so leuchtet ein, dass das Hauptgewicht auf die Selbstbestimmung, nicht auf die Bethörung gelegt werden muss. Damit stimmt denn auch der Spruch überein: *ἀλλ' ὅταν σπεύδῃ τις αὐτός, χὠ θεὸς ξυνάπτεται* (741). Derselbe wird dem Darius in den Mund gelegt, nachdem er vorher gesagt, dass Jupiter in der Person seines Sohnes, des Xerxes, das Orakel in Erfüllung gebracht habe. Hier wirken also Freiheit und göttlicher Rathschluss zusammen.

1) Ipso mendacio deum interdum uti legitur fragm. 302 (ed. Nauck):

Ψευδῶν δὲ καιρὸν ἔσθ' ὅπου τιμᾷ θεός.

De qua re vide p. 146.

tuetur, sic etiam divinam fraudem, ubi occurrit, iustam appellat, fragm. 301 (ed. Nauck):

ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός.

Putat igitur Aeschylus, si deus alicuius mentem *puniendi causa* occaecaverit, hoc iustitiae divinae non obtrectare.

Dico *puniendi causa*, nam *ἀπάτη δικαία* valet idem atque *ἀπάτη δίκην εἰσπραττομένη*, et deum homines puniendi causa ad malas actiones adigere legitur etiam *Suppl.* 388—389:

Ζεὺς ἑτερορρεπής, νέμων εἰκότως
ἄδικα μὲν κακοῖς, ὅσια δ'ἐννόμοις. 1)

Platner talem iustitiam reprehendit, nam haec res monet eum illius sententiae, quam vulgo, quamvis non semper optimo iure, Iesuitis tribuerunt 2), et p. 61 dicit disertis verbis 3) occaecationem non esse rectam viam iustitiae exercendae, quod causa fiat plurium scelerum. Quam tamen recte sic iudicet, equidem non video. Si enim credimus deum esse summa potentia praeditum, qui omnes res humanas regat gubernetque aut saltem hoc facere possit,

---

1) Sic etiam intellego illud *Niobae* fragm. (apud Nauck 156):

θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς,
ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ.

Deus igitur facit, ut aliquis sibi culpam contrahat, si eum malis obruere vult. Sed quando vult deus aliquem malis obruere? Vultne hoc temere sine iusta aliqua causa? Minime. Eiusdem tragoediae etiam hi versus sunt (fragm. 159):

οὑμὸς δὲ πότμος, οὐρανῷ κυρῶν ἄνω
ἔραζε πίπτει καί με προσφωνεῖ τάδε·
γίγνωσκε τἀνθρώπεια μὴ σέβειν ἄγαν.

2) O. l. p. 73: „Soll damit der Gedanke ausgedrückt werden, der Trug als ein Mittel für das Recht sei zulässig, so könnte man darin den Grundsatz finden, der Zweck heilige die Mittel."

3) Ibi legitur: „Uebrigens ist die Verblendung kein geeignetes Mittel, die Gerechtigkeit zu realisiren, insofern sie dazu mitwirkt, dass ein unrechtmässiges Beginnen vollzogen werde, und die *δυσσέβεια* und *ὕβρις* zur Ausführung kommen, Eine Strafe, welche das Verbrechen mit erzeugt, ist für keine passende zu halten, indem es vielmehr der göttlichen Gerechtigkeit ansteht, dasselbe zu verhindern."

videmusque nihilominus homines multa nefarie facta sibi admittere, res ex Platneri mente ita intellegenda erit, ut omnia haec impie facta nihil ad divinam gubernationem pertineant. Sed qui efficiatur, amabo, hoc modo iustitiam divinam magis integram evadere, quam si Deus homines, etiam ubi impie aliquid peragant, regere putemus? Deus enim omne peccatum prohibere poterat, quod si faceret, iustitia divina omnino non opus esset.

Ἀλάστωρ denique sive daemon ultor, qui pristinis alicuius domus sceleribus eam vim incutit, ut posteri ea novis sceleribus accumulent 1), homines ad improba facta impellere dicitur *Agam.* 1462—1466:

> *φανταζόμενος δὲ γυναικὶ νεκροῦ*
> *τοῦδ' ὁ παλαιὸς δριμὺς ἀλάστωρ*
> *Ἀτρέως χαλεποῦ θοινατῆρος*
> *τόνδ' ἀπέτεισεν*
> *τέλεον νεαροῖς ἐπιθύσας.*

Verba enim quae sunt *φανταζόμενος γυναικὶ* significant Clytaemestram agere *Ἀλάστορος* impulsu. Quam *Ἀλάστορος*

---

1) *Agam.* 1463—1465:

> *ὁ παλαιὸς δριμὺς ἀλάστωρ*
> *Ἀτρέως χαλεποῦ θοινατῆρος*
> *τόνδ' ἀπέτεισεν.*

Suppl. 398—400:

> *μήτ' ἐν θεῶν ἕδραισιν ὧδ' ἱδρυμένας*
> *ἐκδόντες ὑμᾶς τὸν πανώλεθρον θεὸν*
> *βαρὺν ξύνοικον θησόμεσθ' ἀλάστορα.*

Ἀλάστορος vis describitur *Sept.* 725—727:

> *παλαιγενῆ γὰρ λέγω*
> *παρβασίαν ὠκύποινον·*
> *αἰῶνα δ' ἐς τρίτον μένει.*

Hoc igitur fere idem est, quod Deus de se ipse praedicat Exod. XX, 5: „Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me, et faciens misericordiam in milia his, qui diligunt me et custodiunt praecepta mea." — Plura de *Ἀλάστορος* significatione vide apud Naegelsbach, De religionibus Orestiam Aeschyli continentibus, Erlangae 1843, a p. 9 usque ad finem.

vim tamen ad deos referendam esse apparet ex iis, quae dicit Cassandra, illa vates Apollinis (i. e. Iovis), Agamemnonem ex consilio deorum interfectum esse (*Agam.* 1241—1244):

ἐπεὶ τὸ πρῶτον εἶδον Ἰλίου πόλιν
πράξασαν ὡς ἔπραξεν, οἳ δ' εἶχον πόλιν 1)
οὕτως ἀπαλλάσσουσιν ἐν θεῶν κρίσει,
ἰοῦσα πράξω, τλήσομαι τὸ κατθανεῖν.

Sed in hac quoque re chorus urget Clytaemestrae culpam, nam ei respondet vv. 1467—1470:

ὡς μὲν ἀναίτιος εἶ
τοῦδε φόνου τίς ὁ μαρτυρήσων;
πῶ πῶ; πατρόθεν δὲ συλλή-
πτωρ γένοιτ' ἂν ἀλάστωρ.

Atque omni ratione careret, quod Orestes patrem ulcisci ab Apolline iubebatur, nisi Agamemnonis necati Clytaemestrae ipsi culpa esset attribuenda. Apparet igitur Aeschylum ubique docere hominibus rationem suorum factorum reddendam esse et tamen omnia a deo administrari et provideri. Quod quia multis viris doctis absurdum et iustitiae divinae imminere visum est, partim statuerunt Aeschylum sibi ipsi pugnare, partim hanc providentiam divinam ad rationes vel potius commenta poëtica referendam esse senserunt. 2)

---

1) Agamemnon scil. — *ἀπαλλάσσω* hoc loco intransitive pro verbo dicitur, quod est *mori*.

2) Chr. Herwig, Das ethisch-religiöse Fundament der aeschyleischen Tragoedie, Konstanz 1878, Progr. 490 p. 18: „Es sei hier jedoch nicht verschwiegen, dass es vereinzelte (?!) Stellen bei Aeschylos giebt, welche mit der erläuterten Grundanschauung im Widerspruch zu stehen scheinen. Vor Allem der Ruf des Chors im Agamemnon, in den er ausbricht, nachdem Agamemnon gefallen ist und die Kette grausen Wechselmords dem Chor frisch ins Bewusstsein tritt v. 1483:

Ach, trauriger Ruhm des grausen,
Niemals endenden Unheils!
O Graun, o Graun! So lenkt es Zeus,
Der Alles fügt, der Alles schafft!
Denn was geschieht dem Menschen ohne dich, Zeus?

Aber in dem letzten Abschnitt, der sich mit den zahlreichen Widersprüchen beschäftigen soll, welche im Einzelnen das grosse Princip des Ganzen auf-

Sed quod homines, quae eorum ratio corrupta est atque inops, intellegere minime possunt, num erit hoc eam ipsam ob causam negandum utque absurdum refutandum? Num credemus, quia infinitum spatium mente concipere haud possumus, spatium universi finitum esse? Aut quia Deum initio carentem cogitare non possumus, idcirco Deum certo quodam tempore natum esse putabimus? At dicat quispiam Deum non efficere posse, ut figura aliqua eodem puncto temporis sit circulus et quadratum, itemque contra omnem rationem et sanam mentem pugnare, si homines in omnibus rebus agendis a Deo regerentur et tamen male factorum in eos culpa conferretur. Cui hoc tantum respondeo, eos, qui partem divinae mundi gubernationis tollant, ipsum Deum tollere, neque putandum esse Aeschylum non credere potuisse, quod tot homines, quot inde a primis temporibus Sacris Libris plenam fidem habuerunt, crediderint 1). Sed redeamus ad ea, quae poëta ipse de hac re dixit.

P. 106—109 locos attulimus, ubi sine Iovis voluntate nihil fieri dicitur. Aeschylum autem sic revera putasse, ex hoc ipso apparet, quod haud dubitavit, etiam ubi de hominum improbitate sermo esset, hac stare sententia. Cui rei hoc

---

zuheben scheinen, wird der Nachweis versucht werden, dass dergleichen Aussprüche nicht als Inconsequenzen der sittlichen Auffassung gelten können, sondern vielmehr einem poëtischen Grunde zuzuschreiben sind." — Et tamen idem vir doctus dicit p. 32: „die wahre Anschauung des Dichters spricht hier (Sept. 675—677 scil.), *wie überall*, der Chor aus"! — In eandem sententiam loquitur Platner, p. 33: „Manche (non igitur „vereinzelte", ut Herwig vult) Aussprüche, welche die menschlichen Handlungen als blosse Erzeugnisse des Schicksals oder der göttlichen Einwirkung bezeichnen, sind, wie bereits bemerkt worden, aus dem Charakter, der Gemüthsstimmung und den Zuständen der Sprechenden, sodann aber auch aus dem Wesen der poëtischen Diction zu erklären, welche eine gewisse Emphase verlangt und ihre Kraft und Eindringlichkeit verlieren würde, wenn sie, wie die wissenschaftliche Prosa mit Vorbehalten und Einschränkungen sich ausdrücken wollte." Vae igitur poësi! cui res tam gravis momenti temere ludere liceat.

1) Vide e. gr. Luc. XXII, 22: *ὁ μὲν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου πορεύεται κατὰ τὸ ὡρισμένον· πλὴν οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ παραδίδοται.* Et imprimis ad Rom. IX, 11—18.

quoque argumento est. Deus praescivit Clytaemestram necaturam esse Agamemnonem, nam Cassandra divinitus afflata hanc necem praedixit. Hoc deus impedire potuit, nec tamen fecit, ipse ergo deus hanc necem voluit, non aliter ac si aliquis, qui alterum undis maris obrui videtur nec tamen ei auxilium fert, licet facile potuisset, ipse illum perire voluit. 1) Attamen Aeschylus, qui humanam condicionem recte perspiciebat, sensit homines, si qua in re peccavissent, culpam, testante male factorum conscientia, agnoscere suam. Sic Clytaemestra, quam domus *Ἀλάστωρ* ad Agamemnonis necem adduxerat, nocturnis somniis terrebatur, quam ob rem libamina mittit, quibus mariti manes placet (*Choëph.* 22—42. Hoc postremo versu Clytaemestra appellatur *δύσθεος γυνά*). Item Orestes, qui Apollinis iussu patrem ultus est, horrificis malae conscientiae imaginibus propellitur. Itaque Aeschylus procul abfuit, ut deum impuritatis aut iniuriae accusaret et, ubicumque potuit, Dei sanctitatem et iustitiam celebravit.

Hactenus igitur videmus iustitiam divinam apud Aeschylum salvam esse, nunc iam in eo est, ut quaeramus, sitne deus iustus in bonis et malis inter homines distribuendis, i. e. prosequaturne deus amore et benevolentia eos, qui parent legibus illis, de quibus supra sermo erat, puniatque semper eos solos, qui has leges neglegunt? Postulat enim iustitia, homines ut mercedem suorum quisque operum accipiant. Sic Aeschylum quoque censuisse multis ex locis cernitur, in qua opinione, ut supra iam demonstravimus, hoc tantum vituperandum est, quod homines Aeschylei aliqua accepta iniuria putant sibi licere sua sponte iustitiae divinae existere ministros.

Deum igitur bonis propitium esse inde apparet, quod ii, qui deos venerantur, plurimum valere dicuntur *Sept.* 579:

---

1) Vide *Agam.* 1241—1244 (p. 130), ubi deus hanc necem voluisse dicitur.

δεινὸς ὃς θεοὺς σέβει.

Item qui sibi temperant *Eum.* 523:

παντὶ μέσῳ τὸ κράτος θεὸς ὤπασεν.

Deus porro benevolus est in leniter imperantes *Agam.* 915—916:

τὸν κρατοῦντα μαλθακῶς
θεὸς πρόσωθεν εὐμενῶς προσδέρκεται.

Virorum, qui pie sancteque vivunt, deus domos custodit *Suppl.* 26—27:

Ζεὺς σωτὴρ τρίτος, οἰκοφύλαξ
ὁσίων ἀνδρῶν,

hominibusque iustis pulchra semper est proles *Agam.* 731—732:

οἴκων γὰρ εὐθυδίκων
καλλίπαις πότμος αἰεί. 1)

Cum porro summum bonum positum sit in virtute, ii, qui legibus divinis oboediunt, sic ab deo reguntur, ut iuste agant *Suppl.* 338—389:

Ζεὺς ἑτερορρεπής, νέμων εἰκότως
ἄδικα μὲν κακοῖς, ὅσια δ'ἐννόμοις.

Improbi contra et impii viri puniuntur, imprimis, qui deos contemnunt *Suppl.* 698—699:

Χρόνῳ τοι κυρίῳ τ'ἐν ἡμέρᾳ
θεοὺς ἀτίζων τις βροτῶν δώσει δίκην.

Quam ob rem felix appellatur is, cuius hostis diis quoque odio est *Suppl.* 719—720:

καλῶς ἂν ἡμῖν ξυμφέροι ταῦτ', ὦ τέκνα,
εἰ σοί τε καὶ θεοῖσιν ἐχθαιροίατο.

Ut autem, qui recte agunt, ad plura recte facta adiguntur,

---

1) Cfr. etiam illud pulcherrimum canticum chori *Eum.* 540—555, cuius hoc initium:

ἑκὼν δ'ἀνάγκας ἄτερ δίκαιος ὢν
οὐκ ἄνολβος ἔσται.
πανώλεθρος δ'οὔποτ' ἂν γένοιτο.

sic impii ad iniusta et improba facta *Suppl.* 388—389 (quos versus vide priore pag.) et *Agam.* 728—730:

τὸ δυσσεβὲς γὰρ ἔργον
μετὰ μὲν πλείονα τίκτει,
σφετέρᾳ δ'εἰκότα γέννᾳ. 1)

Quin etiam in Tartaro improbi poenis afficiuntur *Eum.* 265—271:

ὄψει δὲ κεἴ τις ἄλλος ἤλιτεν βροτῶν
ἢ θεὸν ἢ ξένον τιν' ἀσεβῶν
ἢ τοκέας φίλους
ἔχονθ' ἕκαστον τῆς δίκης ἐπάξια.
μέγας γὰρ Ἅιδης ἐστὶν εὔθυνος βροτῶν
ἔνερθε χθονός,
δελτογράφῳ δὲ πάντ' ἐπωπᾷ φρενί.

Et *Suppl.* 220—221:

κἀκεῖ δικάζει τἀμπλακήμαθ', ὡς λόγος,
Ζεὺς ἄλλος ἐν καμοῦσιν ὑστάτας δίκας. 2)

Haec, quae sunt pauca ex multis, sufficiant, ut ostendamus deum viris iustis adiuvandis, improbis puniendis exercere iustitiam.

Attamen deus hac quoque in re minus iustus videri possit. Saepe enim malis afficere videtur eos, qui tam gravi sorte minime digni sunt et id quidem aut invidia ductus, si homo aliquis ei praeter modum felix esse videatur, aut puniendi causa, ita ut alius nefarie fecerit aliquid, alius pro hoc facinore puniatur.

Quod ad divinam invidiam, cuius saepius in Aeschyli fabulis fit mentio, haec nonnunquam in malam partem explicata fuit, ita scil., ut ei iusti etiam ac pii homines obnoxii essent. Quamquam enim plerique viri docti, qui hac de re disseruerunt, dei invidiam apud Aeschylum

1) Cfr. *Pers.* 733 et haec Schilleri verba (Piccolomini V, 1):
Das eben ist der Fluch der bösen That,
Dass sie, fortzeugend, immer Böses musz gebären.

2) Vide etiam *Suppl.* 399—401.

vulgarem significationem habere negant, ut Schmidt, 1) Lübker, 2) ex nostratibus Hoekstra; 3) aliorum tamen opiniones cum prioribus pugnant, inter quos Zeller, vir doctus in primis, et Buchholz. Zeller enim, quamquam non negat meliorem quoque de dei invidia opinionem apud Aeschylum occurrere, tamen existimat alteram etiam ab Aeschylo admissam fuisse, ita ut poëta sibi ipse repugnet. 4)

---

1) L. Schmidt, Ethik der alten Griechen, p. 139: „Hiermit hängt zusammen, dass er die Vorstellung von dem Neide der Götter als eine unwürdige ablehnt. Denn obwohl er den Chor seines Agamemnon im vierten seiner Gesänge ganz im Sinne der populären Auffassung sich aussprechen lässt (?), giebt er im dritten durch den Mund desselben offenbar seiner dazu im Gegensatze stehenden persönlichen Ueberzeugung Ausdruck." — Idem igitur chorus, credo, modo oppugnat vulgarem opinionem, modo defendit! De illo quarto carmine vide infra, p. 140—142.

2) Fr. Lübker, Propyläen zu einer Theologie des classischen Alterthums, p. 411: „Der Einzige, der sich gegen diese durchaus allgemeine Auffassung der ganzen alten Welt sträubt, ist Aeschylus, aber er steht auch *ganz allein* in dieser Beziehung da". Aeschylus igitur Lübkero revera *μονόφρων* fuisse videtur, vide tamen Hoekstra (vide annot. proximam).

3) S. Hoekstra, De „wangunst der goden op het geluk, ook der rechtvaardigen," Amsterdam 1883 (Overgedrukt uit de Verslagen en Mededeelingen der Koninkl. Akad. van Wetenschappen, Afd. Letterkunde, 3e Reeks, Deel I.), p. 68—77.

4) Zeller, Die philosophie der Griechen, II, 1, 3te Aufl. pag. 6: „Ganz rein vermochte freilich selbst Aeschylus diese Gedanken nicht zu fassen und einen Zwiespalt nicht völlig zu überwinden, welcher sich nicht bloss durch die alte Tragoedie, sondern durch die ganze Lebensansicht der Griechen hindurchzieht. Einerseits spricht auch er jenen alterthümlichen, mit der Eigenthümlichkeit der Naturreligion so eng zusammenhängenden Glauben an den Neid der Gottheit aus: neben der blühendsten Gesundheit lauert die Krankheit; wenn die Woge des Glückes den Menschen am raschesten dahinträgt, zerschellt er an verborgener Klippe; will er nicht ganz untergehen, so möge der Glückliche einen Theil seiner Habe freiwillig auswerfen (Ag. 1001 ff., wozu sich die Vergleichung der Herodotischen Erzählung über Polycrates 3, 40 ff. von selbst aufdrängt); die Gottheit selbst verhängt den Menschen Verschuldung, wenn sie ein Haus von Grund aus umstürzen will (Niobe Fr. 160 [151], von Plato Rep. 380 a getadelt). Anderseits aber wird unser Dichter nicht müde, den Zusammenhang der Strafe mit der Schuld einzuschärfen; nicht allein an den alten Sagen von Niobe und Ixion, von Laios' und Atreus' Haus schildert er in ergreifenden Zügen die unentrinnbarkeit

Buchholz autem multo disertius negat Aeschyli de divina invidia opinionem ab vulgari discrepare, quippe qui dicat Aeschylum, hac quoque ex parte virum vere Graecum, illi invidiae, vulgari sensu acceptae, addictum fuisse. 1) Sed iam ipsi videamus haec res quomodo se habeat. Locus igitur, qui unus omnium de divina invidia apud Aeschylum locorum clarissimus est, invenitur *Agam.* 722—732. Ibi legitur:

> *παλαίφατος δ' ἐν βροτοῖς γέρων λόγος*
> *τέτυκται, μέγαν τελεσθέντα φωτὸς ὄλβον*
> *τεκνοῦσθαι μηδ' ἄπαιδα θνήσκειν,*
> *ἐκ δ' ἀγαθᾶς τύχας γένει*
> *βλαστάνειν ἀκόρεστον οἶζυν.*
> *δίχα δ' ἄλλων, μονόφρων εἰ-*
> *μί. τὸ δυσσεβὲς γὰρ ἔργον*
> *μετὰ μὲν πλείονα τίκτει,*
> *σφετέρα δ' εἰκότα γέννα.*
> *οἴκων γὰρ εὐθυδίκων*
> *καλλίπαις πότμος ἀεί.*

Hoc loco chorus disertissimis verbis docet, quamquam sit vetus opinio ex magna felicitate insatiabilem miseriam nasci, se solum 2) longe aliter sentire. Ex impietate enim postea

---

der göttlichen Strafgerichte, das Unheil, welches dem Uebermut auf den Fuss folgt, den nimmer erlöschenden Fluch des Verbrechens; auch in dem unverhofften Ausgang des Persischen Heerzugs erkennt er die höhere Hand, welche die Selbstüberhebung des Grosskönigs und seine Frevel gegen die Hellenischen Götter bestraft hat" Zeller igitur eundem affert locum, quem Schmidt, sed hic putat eum non poëtae mentem exprimere (quamquam immerito sic putat!), uterque autem inde illam vulgarem invidiam destillat (non minus immerito).

1) E. Buchholz, Die sittliche Weltanschauung des Pindarus und Aeschylus, p. 188: „Ein zweiter Punkt, in welchem die äschyleische Dogmatik mit der christlichen in offenen Widerspruch tritt, ist die Lehre vom Neide der Götter (*φθόνος θεῶν*), der Aeschylus als ächter Hellene huldigt".

2) Quo iure chorus (vel Aeschylus) voce, quae est *μονόφρων*, utatur, hic minus refert, non enim quaeritur, num Aeschylus *solus* aliquam habeat opinionem, sed id potius, *quam* opinionem habeat. Hoc *μονόφρων* tamen non

alia impie facta prioribus similia oriri, domum tamen iustam sequi prosperitatem. 1) Ex omnium fere doctorum opinione atque ex iis, quae de ratione ipsius poëtae opinionem investigandi praemonuimus (Prooem. p. 6—7), satis fiduciae nanciscimur, ut his verbis veram atque inveteratam Aeschyli opinionem contineri contendamus, ita ut id tantum quaerendum sit, quo Zeller sit et Buchholz prohibitus sibi eandem sumere fiduciam.

In tribus igitur Aeschyli tragoediis sermo est de dei invidia, *Agamemnonem* dico et *Persas* et *Prometheum*. In *Agamemnone* praeter locum iam tractatum de dei invidia sermo est v. 442—450:

κελαι-
ναὶ δ' Ἐρινύες χρόνῳ
τυχηρὸν ὄντ' ἄνευ δίκας παλιντυχεῖ
τριβᾷ βίου τιθεῖσ' ἀμαυρόν, ἐν δ' αἴ-
στοις τελέθοντος οὔτις ἀλ-
κά· τὸ δ' ὑπερκότως κλύειν
εὖ βαρύ· βάλλεται γὰρ ὄσ-
σοις Διόθεν κεραυνός·
κρίνω δ' ἄφθονον ὄλβον.

---

ita urgendum esse censeo, ut Aeschylus praeter se neminem idem sentire putaret, nam si duo aut tres apud Graecos ea sententia fuissent, quidni h omnes *μονόφρονες* appellari potuissent, quo indicaretur eos ex toto populo excipiendos esse? Accedit, quod poëta per tragoediae personas non apud viros eruditos solos, qui philosophorum placita nossent, loquebatur, sed apud populum harum rerum rudem ignarumque. Haud tamen supervacaneum fuisset, si Naegelsbach, cum diceret N. H. Theol. p. 49—50: „Allein dass Aeschylus hinsichtlich dieser Auffassung, von den Philosophen abgesehen, in der That *μονόφρων* ist, das thut eine lange Reihe von Zeugnissen dar, aus welchen wir nur die wichtigsten herausheben," aliquot nomina locosque eorum philosophorum, qui cum Aeschylo starent, addidisset. Nam illud *μονόφρων* non solum sensu negativo est intellegendum, quasi Aeschylus hoc solum dicere voluisset: „*φθόνος θεῶν* non exstat," sed etiam sensu affirmativo, ita ut Aeschylus omnia, quae ceteri *φθόνῳ θεῶν* tribuerent, *iustitiae* divinae ascriberet. — Item Hoekstra hoc *μονόφρων* refutat (opere laud. p. 73), sed, ut videtur, Sophoclis et Pindari ratione habita, quos non aliter ac Aeschylum sentire dicit.

1) Hic etiam cfr. Exod. XX, 5 (vide p. 129).

In *Persis* denique de invidia deorum sermo est vv. 359—361:

> ὁ δ' εὐθὺς ὡς ἤκουσεν, οὐ ξυνεὶς δόλον
> Ἕλληνος ἀνδρὸς οὐδὲ τὸν θεῶν φθόνον,
> πᾶσιν προφωνεῖ τόνδε ναυάρχοις λόγον.

Primum tamen memoria tenendum est haec verba nuntii esse, eiusdem qui modo dixisset vv. 351—352:

> ἦρξεν μὲν ὦ δέσποινα, τοῦ παντὸς κακοῦ
> φανεὶς ἀλάστωρ ἢ κακὸς δαίμων ποθέν.

Apparet igitur hunc virum plane nescire, unde hoc malum Persis evenerit, utrum auctor sit ἀλάστωρ an κακὸς δαίμων an φθόνος θεῶν (qui certe non omnes κακοὶ δαίμονες putantur esse!), ita ut hic nuntius inter tres opiniones haesitet. Sed etiamsi hoc loco φθόνος ex Aeschyli mente dictus est, tamen pag. 125—126 iam vidimus Xerxem δυσσεβὲς ἔργον commisisse, unde efficitur Aeschylum in *Agamemnone* et *Persis* revera μονόφρονα fuisse.

Vv. 161—164 1) de dei invidia sermo esse ut videtur, non ita est, nam Atossa dicit Dareum *deorum aliquo iuvante* prosperitatem nactum esse, se tamen vereri, ne immensae divitiae causa fiant, quae hanc prosperitatem evertat. Nec mirum! Divitiae enim homines superbos facere solent.

At Zeller (etiam Schmidt) non ibi videtur de invidia cogitare, ubi eius fit mentio, sed tum maxime, cum sermo est de calamitate aliqua, quae ad hominem subito obrepat, aut cum deus aliquam domum, quam vult perdere, ad nefaria facta adducit, ita ut interitus huius domus poena debita videatur (vide locum ex Zelleri opere laudatum p. 135). Ut ex Zelleri verbis apparet, eius opinio nititur

---

1) καί με καρδίαν ἀμύσσει φροντίς· ἐς δ' ὑμᾶς ἐρῶ
μῦθον οὐδαμῶς ἐμαυτῆς οὖσ' ἀδείμαντος, φίλοι·
μὴ μέγας πλοῦτος κονίσας οὖδας ἀντρέψῃ ποδὶ
ὄλβον, ὃν Δαρεῖος ἦρεν οὐκ ἄνευ θεῶν τινος·

carmine, quod legitur *Agam.* 959—969 et fragmento ex *Nioba.* De quo fragmento quid sentiam, vide p. 128 annot. I. *Agam.* 959—969 legimus haec verba:

μάλα γάρ τοι τᾶς πολλᾶς ὑγιείας
ἀκόρεστον τέρμα. νόσος γὰρ
γείτων ὁμότοιχος ἐρείδει,
καὶ πότμος εὐθυπορῶν
ἀνδρὸς ἔπαισεν ἄφαντον ἕρμα.
καὶ τὸ μὲν πρὸ χρημάτων
κτησίων ὄκνος βαλὼν
σφενδόνας ἀπ' εὐμέτρου,
οὐκ ἔδυ πρόπας δόμος
πημονᾶς γέμων ἄγαν,
οὐδ' ἐπόντισε σκάφος.

Sed neque de omnibus huius carminis partibus satis constat, quid sibi velint, cum sint valde corruptae, nec puto Zellerum hoc carmen recte interpretatum esse. Sententia enim est haec: Agamemnon quamquam incolumis Troia revertit, tamen chorus vehementer angitur et in mediis gaudiis vocem Erinyum sibi videtur audire, qua carmen male ominosum canere cogitur.

Nam licet morbus saepe homini valido immineat et navis viri divitis nonnunquam ad caecos scopulos allidatur, tamen his malis remedium datum est 1) (haec enim est totius generis humani condicio 2), quae chorum nunc non terret). At si aliquando sanguis in terram profusus est, huic malo medicamentum inveniri potest nullum. Non est igitur Agamemnonis prospera fortuna, quae chorum tantopere sollicitet, nam si haec periclitaretur, fortasse aliqua via salutis inveniretur, sed Iphigenia mactata eum in has tristes suspiciones detulit. Hic igitur ab Aeschylo non de

1) Egregie igitur videtur in carminis sententiam quadrare coniectura, quam Wecklein medendi causa offert, interpolavit enim post v. 962, ubi unus versus desideratur, haec: *σῶμα δ' ἔσωσεν ἄκος.*

2) *Agam.* 1281—1283, Pers. 697—699.

dei invidia cogitatum est, nisi forte aliquis existimet (quod ne Zellerum quidem existimare puto) Aeschylum omnia humana mala atque incommoda huic invidiae divinae tribuere atque omnem eam invidiam contineri versibus, qui leguntur *Agam.* 1281—1283:

ἰὼ βρότεια πράγματ'· εὐτυχοῦντα μὲν
σκιά τις ἂν τρέψειεν· εἰ δὲ δυστυχοῖ,
βολαῖς ὑγρώσσων σπόγγος ὤλεσεν γραφήν.

Quod si Aeschylus faceret, tum profecto ex omnibus Graecis esset *μονόφρων*, sed in malam partem contrarioque sensu atque *Agam.* 727.

Hac Zelleri ac Buchholzii opinione satis iam, ut videtur, refutata, ad illam alteram de insontibus puniendis quaestionem aggrediamur. Cuius rei multa sane exempla in Aeschyli tragoediis occurrunt. Fit enim, ut ab liberis peccata parentum repetantur, quod nos docent *Sept.* vv. 725—727:

παλαιγενῆ γὰρ λέγω
παρβασίαν ὠκύποινον·
αἰῶνα δ' ἐς τρίτον μένει.

Item totus populus miseriis obruitur ob unius hominis maleficia, ut in *Persis*. Atossa ipsa dicit v. 431—432:

αἰαῖ, κακῶν δὴ πέλαγος ἔρρωγεν μέγα
Πέρσαις τε καὶ πρόπαντι βαρβάρων γένει,

et v. 474—475 eadem fatetur Xerxem omnium horum malorum causam fuisse:

παῖς ἐμὸς . . . τοσόνδε πλῆθος πημάτων ἐπέσπασεν.

Unus denique vir innocens interit cum pluribus improbis *Sept.* 580—597:

φεῦ τοῦ ξυναλλάσσοντος ὄρνιθος βροτοῖς
δίκαιον ἄνδρα τοῖσι δυσσεβεστάτοις.
ἐν παντὶ πράγει δ' ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς
κάκιον οὐδέν, καρπὸς οὐ κομιστέος·
ἄτης ἄρουρα θάνατον ἐκκαρπίζεται.
ἢ γὰρ ξυνεισβὰς πλοῖον εὐσεβὴς ἀνὴρ

ναύτῃσι θερμοῖς καὶ πανουργίᾳ τινὶ
ὄλωλεν ἀνδρῶν σὺν θεοπτύστῳ γένει,
ἢ ξὺν πολίταις ἀνδράσιν δίκαιος ὢν
ἐχθροξένοις τε καὶ θεῶν ἀμνήμοσιν
ταὐτοῦ κυρήσας ἐκδίκως ἀγρεύματος,
πληγεὶς θεοῦ μάστιγι παγκοίνῳ 'δάμη.
οὕτως δ' ὁ μάντις, υἱὸν Οἰκλέους λέγω,
σώφρων δίκαιος ἀγαθὸς εὐσεβὴς ἀνήρ,
μέγας προφήτης, ἀνοσίοισι συμμιγεὶς
θρασυστόμοισιν ἀνδράσιν βίᾳ φρενῶν
τείνουσι πομπὴν τὴν μακρὰν πάλιν μολεῖν,
Διὸς θέλοντος συγκαθελκυσθήσεται.

Hic non opus est huiusmodi sententias ex Sacris Libris afferre, quibus Aeschyli opinionem defendam, nam haec eius opinio nititur rebus, quae revera acciderunt et quas nos omnes saepe accidere videmus, id quod maxime constat de miseriis, quibus bella populos obruere solent. Cogita etiam de corruptis moribus, qui ab sceleratis ac nefariis patribus familiarum liberis traduntur, eosque in perniciem trahunt. Locis igitur modo commemoratis Aeschylus nihil nisi ea statuit, quae tempora praeterita eum docuerunt, quam ob rem *Sept.* 587 (vide supra) perfecto (ὄλωλεν) usus est 1) versuque 591 aoristo gnomico (ἐδάμη). Aut igitur omnes falluntur, qui res et facta humana recte observare solent atque nihilominus Deum, omnia summa iustitia gubernantem, credunt, aut non est, cur Aeschylum quantulaecunque adversus suum deum impietatis incusemus. 2)

1) Grammatici quidem docent verbi Graeci perfectum non tempus praeteritum sed praesens significare, sed hoc ita intellegendum est, ut sit actio in praesenti tempore perfecta atque absoluta, quam ob rem actio aliqua *antecedat* necesse est. In perfecto Graeco igitur praesens tempus cum praeterito tempore cohaeret.

2) Haec opinio, alium peccare, alium poenam solvere, adeo totius generis humani propria est, ut apud omnes fere populos antiquos homines hostias sua peccata luendi causa immolare diisque offerre videamus. Hae hostiae

Quae omnia ut paucis verbis comprehendam: **Aeschylus non capax fuit ullius notionis dei nisi eius, qua summa iustitia continetur**, ita ut poëtae ipsi verba tribuere liceat, quae ipse Prometheum, quamvis alio sensu, loquentem fecit *Prom.* 189—190: οἶδα ὅτι . . . παρ' ἑαυτῷ τὸ δίκαιον ἔχων Ζεύς. Deus enim Aeschyleus facit aliquid, non quod ita facere iustum sit, sed iustum est, quia Iuppiter hoc facit.

Supra dixi dei sanctitatem etiam inde apparere, quod deus verax habeatur. Quae divina veritas (quam theologi veracitatem appellant) in eo sita est, quod dei dicta, ad quae oracula et vaticinia et somnia sunt referenda, cum factis eius consentiunt. De eius (Iovis) dictis veritas affirmatur a Mercurio *Prom.* 1031—1032:

ψευδηγορεῖν γὰρ οὐκ ἐπίσταται στόμα
τὸ Δῖον, ἀλλὰ πᾶν ἔπος τελεῖ,

quibus verbis chorus assentitur vv. 1035—1038. 1)

Quod ad oraculorum et vaticiniorum veritatem, haec primum ex eo apparet, quod in Aeschyli tragoediis nulla res, quae alicuius videatur momenti, peragitur, quin oraculum consulatur aut divinando dei voluntas exquiratur. Si enim Deo veritatem denegamus, qui eius oraculis aut signis credere possumus? Divinationi nulla fides haberetur, nisi homines putarent deum id, quod per omina significasset, revera perfecturum esse. Aeschylum autem magnam divinationi auctoritatem tribuere inde apparet, quod Prometheus

---

modo homines sunt, modo bestiae. De quo more apud Graecos quoque usitato vide Lasaulx, Die Sühnopfer der Griechen und Römer und ihr Verhältnis zu dem einen auf Golgotha, Wurzburg 1841. — In Aeschyli *Prom.* Chiron huic rei documento est, in *Agam.* verba Aegisthi (vv. 1548—1582). Quod nisi ita esset, qui Christus pro nostris peccatis satisfacere potuisset?

1) *XO.* ἡμῖν μεν Ἑρμῆς οὐκ ἄκαιρα φαίνεται
λέγειν· ἄνωγε γάρ σε τὴν αὐθαδίαν
μεθέντ' ἐρευνᾶν τὴν σοφὴν εὐβουλίαν.
πιθοῦ· σοφῷ γὰρ αἰσχρὸν ἐξαμαρτάνειν.

homines hanc artem docuisse dicitur. 1) Cetera enim, quae Prometheus se hominibus dedisse dicit, revera eorum propria eaedemque verae artes sunt, quidni igitur etiam, ex Aeschyli quidem mente, divinatio? Deinde oraculorum veritas ex eorum gravitate efficitur, nam si quis iis paret, optime suae servire saluti dicitur (Orestes), quamquam non semper ita videtur (Io), quibus certe nunquam obsistitur, nam Orestes oraculo cogitur matrem suam interficere, Io autem maximis se induere miseriis, Xerxes denique dei voluntati, quamvis inscius, oboedire (*Pers.* 729 et quae sequuntur). Quam ob rem Aeschylus ipsum Apollinem sanctitatem oraculorum affirmantem fecit *Eum.* 605: *μάντις ὢν δ'οὐ ψεύσομαι.* Eodem somnia pertinent, ea scil., quibus grave aliquid continetur, nam de ceteris quid chorus sentiat, apparet ex eo, quod Clytaemestram de Agamemnonis adventu rogat *Agam.* 261:

πότερα δ' ὀνείρων φάσματ' εὐπιθῆ σέβεις;

Et Clytaemestra respondet v. 262:

οὐ δόξαν ἂν λάβοιμι βριζούσης φρενός.

Attamen videmus, quantopere eadem mulier eo somnio

---

1) *Prom.* 486—501:

τρόπους τε πολλοὺς μαντικῆς ἐστοίχισα,
κἄκρινα πρῶτος ἐξ ὀνειράτων ἃ χρὴ
ὕπαρ γενέσθαι, κληδόνας τε δυσκρίτους
ἐγνώρισ' αὐτοῖς ἐνοδίους τε συμβόλους.
γαμψωνύχων τε πτῆσιν οἰωνῶν σκεθρῶς
διώρισ', οἵτινές τε δεξιοὶ φύσιν
εὐωνύμους τε, καὶ δίαιταν ἥντινα
ἔχουσ' ἕκαστοι, καὶ πρὸς ἀλλήλους τίνες
ἔχθραι τε καὶ στέργηθρα καὶ συνεδρίαι·
σπλάγχνων τε λειότητα, καὶ χροιὰν τίνα
ἔχοντ' ἂν εἴη δαίμοσιν πρὸς ἡδονήν,
χολῆς λοβοῦ τε ποικίλην εὐμορφίαν,
κνίσῃ τε κῶλα συγκαλυπτὰ καὶ μακρὰν
ὀσφῦν πυρώσας δυστέκμαρτον εἰς τέχνην
ὥδωσα θνητούς· καὶ φλογωπὰ σήματα
ἐξωμμάτωσα, πρόσθεν ὄντ' ἐπάργεμα.

angitur, quod paulo ante mortem habuit. 1) Aeschylum autem gravioribus somniis originem divinam tribuisse patet ex eo, quod utraque mulier, Atossam dico et Clytaemestram, diis sacrificando malum eventum avertere conatur, quodque Ius somnium oraculis Dodonaeo et Pythio confirmatur; tum ex eo, quod somniorum interpretes *θεόθεν λακεῖν* dicuntur. 2) Quodsi deus quidem somnia excitaret, ut per ea cum hominibus aliquid communicaret, nec tamen verax esset, quid tandem somnia haberent momenti?

Haec de dei veritate iam sufficerent, nisi in Aeschyli tragoediis loci occurrerent, ubi deus minime mendaciis abstinere videatur. Fragm. 302 (ed. Nauck) legitur:

ψευδῶν δὲ καιρὸν ἔσθ' ὅπου τιμᾷ θεός.

et *Agam.* 454—457:

πυρὸς δ' ὑπ' εὐαγγέλου
πόλιν διήκει θοὰ
βάξις· εἰ δ' ἐτήτυμος,
τίς οἶδεν, ἤ τοι θεῖόν ἐστι μὴ ψύθος.

At illo fragmento deus non dicitur mentiri, sed interdum mendaciis (i. e. hominum mendaciis vel erroribus) uti, altero autem ex *Agam.* loco dubitatur, an illa celeris fama (*θοὰ βάξις*) divina fraus sit. Hoc igitur loco deus rursus dicitur efficere posse, ut homines mentiantur vel falsam divulgent famam, non ipse mentiri putatur. Si autem *Ζεὺς ἄδικα νέμει κακοῖς* (*Suppl.* 388—389), neque *ἀπάτης δικαίας ἀποστατεῖ* (fragm. 301), i. e. si divina iustitia interdum rem eo perducit, ut homines perverse agant, quidni item faciat, ut perverse loquantur vel mentiantur? Haec igitur ad eandem illam quaestionem redeunt, qui scil. homines peccare et puniri possint, nec tamen quidquam e divina mundi gubernatione sit excipiendum aut Deo iustitia sit abroganda. Quam litem Aeschylus non diremit. Nec potuit, nam nul-

---

1) Choëph. 22—42.

2) Choëph. 37.

lus homo praeter eos, qui Sacros Libros norunt iisque plenam fidem habent, hanc litem dirimere potest, quin aut divino imperio aut divinae iustitiae obtrectet. Nec tamen hanc ob rem Aeschyli divinum ingenium satis mirari possumus, qui peccatum semper homini imputet, deo semper ascribat de toto mundo totoque genere humano imperium et id quidem salva divina sanctitate veritate iustitia. Unum tamen negari non potest: in dei Aeschylei sanctitate si minus vitium rei occurrit, vitium nominis certe inest. Nam et *φθόνος* et *ἀπάτη* et *ψύθος* et verbum quod est *ψεύδεσθαι* semper in malam partem intellegi debent, quamobrem eiusmodi vocabulis, ubi sermo est de divina mundi gubernatione, uti minime licet. Quamquam memoria est tenendum Aeschylum non primum haec vocabula de deo adhibuisse, sed inveteratis nominibus receptis alium puriorem sensum vindicavisse.

CAPUT IV.

De dei bonitate.

Restat ut de dei Aeschylei bonitate dicam, quam in eius fabulis minime desiderari ex iis, quae prioribus scripsi capitibus, iam luce clarius est. Nunc tamen omnia, quae ad hanc rem illustrandam alicuius sunt momenti, afferre placet.

Unicuique igitur, qui Aeschyli tragoedias quamvis properans percurrit, iam statim perspicuum fit, qua in re haec dei bonitas maxime manifesta sit, amorem benevolentiamque in homines dico et misericordiam. Homines a deo amari apparet ex eo, quod omnia bona, quibus homines fruantur, a deo iis affluere dicuntur. Si enim mortales prosperitate utuntur, hoc dei appellatur donum *Sept.* 608:

θεοῦ δὲ δῶρόν ἐστιν εὐτυχεῖν βροτούς. 1)

Item, si recte sapiunt *Pers.* 763:

θεὸς γὰρ οὐκ ἤχθηρεν, ὡς εὔφρων ἔφυ.

Et *Agam.* 891—892:

καὶ τὸ μὴ κακῶς φρονεῖν
θεοῦ μέγιστον δῶρον.

Tam penitus in hominum animis haerebat deum omnium bonorum auctorem esse, ut populus ab Eteocle dicatur omnia bona ad deum referre, mala tamen ad Eteoclem (*Sept.* 4—9):

εἰ μὲν γὰρ εὖ πράξαιμεν, αἰτία θεοῦ·
εἰ δ' αὖθ', ὃ μὴ γένοιτο, συμφορὰ τύχοι,

1) Cfr. Pers. 163—174; 452—453.

'Ετεοκλέης ἂν εἷς πολὺς κατὰ πτόλιν
ὑμνοῖθ' ὑπ' ἀστῶν φροιμίοις πολυρρόθοις
οἰμώγμασίν θ', ὧν Ζεὺς ἀλεξητήριος
ἐπώνυμος γένοιτο Καδμείων πόλει. 1)

Loci autem, qui dei misericordiam testantur, multo plures occurrunt. Omnibus enim, qui in periculis sunt, omnibus laborantibus et implorantibus deus et ipse subvenit et ab hominibus subveniri vult.

Qui ex periculis evaserunt, a deo servati esse dicuntur *Agam.* 579—582. Clytaemestra enim hoc loco rogat:

τί γὰρ
γυναικὶ τούτου φέγγος ἥδιον δρακεῖν,
ἀπὸ στρατείας ἄνδρα σώσαντος θεοῦ
πύλας ἀνοῖξαι;

et in eandem sententiam loquitur praeco (ibid. 639—641):

ἡμᾶς γε μὲν δὴ ναῦν τ' ἀκήρατον σκάφος
ἤτοι τις ἐξέκλεψεν ἢ 'ξῃτήσατο
θεός τις, οὐκ ἄνθρωπος, οἴακος θιγών.

Quam ob rem Ζεύς, cui homines se suam salutem debere vulgo credunt, ἀλεξητήριος, i. e. deus averruncus nominatur (*Sept.* 8) et σωτήρ 2), cui σωτῆρος cognomini plerumque additur vox τρίτος 3).

Item Ζεὺς est patronus peregrinorum et hospitum, quam ob rem etiam ξένιος appellatur, e. gr. *Agam.* 61, 349, 720; *Suppl.* 607, 642.

---

1) Quod contra Xerxes, si res feliciter succedant, vir admirabilis dicitur, rebus tamen adversis rationi reddendae non obnoxius (*Pers.* 211—214):

εὖ γὰρ ἴστε, παῖς ἐμὸς
πράξας μὲν εὖ θαυμαστὸς ἂν γένοιτ' ἀνήρ,
κακῶς δὲ πράξας οὐχ ὑπεύθυνος πόλει,
σωθεὶς δ' ὁμοίως τῆσδε κοιρανεῖ χθονός,

primum memoria tenendum est, haec verba ab Xerxis matre dici, deinde principes Persarum deorum loco haberi, ut Dareus et Xerxes ipsi a choro dii appellantur (v. 157: θεοῦ μὲν εὐνήτειρα Περσῶν, θεοῦ δὲ καὶ μήτηρ ἔφυς).

2) Fragm. *Epig.*: τρίτον Διὸς σωτῆρος εὐκταίαν λίβα.

3) Vide p. 30, annot. II.

Non minus tuetur supplices, quibus si quis non opem fert, *Ζεύς* gravissime irascitur (*Suppl.* 333):

βαρύς γε μέντοι Ζηνὸς ἱκεσίου κότος,

Et *Suppl.* 461—462:

ὅμως δ' ἀνάγκη Ζηνὸς αἰδεῖσθαι κότον
ἱκτῆρος· ὕψιστος γὰρ ἐν βροτοῖς φόβος.

Iovis nomina, quae ad hanc rem pertinent, sunt *ἱκέσιος* (*Suppl.* 333), *ἱκτήρ* (ib. 462), *ἵκτωρ* (625), *ἀφίκτωρ* (v. 1), *ἱκταῖος* (370); et supplices vocantur *ἱκέται Διός* (v. 617).

Quodsi homines prospera utuntur fortuna aut mala quadam condicione liberantur, hoc soli deo debent. Itaque deus omnium bonorum, quibus homines fruuntur, est fons atque auctor. In his igitur bonis largiendis dei Aeschylei bonitas posita est. Si autem quaeremus, qualis haec bonitas sit intellegenda, memoria tenendum erit, Iovem patrem et regem hominum appellari 1). Ex patris enim nomine effici posse videtur Iovis bonitatem non ab caritate seiungendam esse, ad regis nomen spectat Iovis mansuetudo et benevolentia. Cum autem hominum Graecorum (etiam Aeschyleorum) religio magis ex deorum metu humanaque inopia quam ex deorum amore sit derivanda, nimirum ista divina bonitas potius ad benevolentiam quam ad caritatem referenda erit.

Attamen ex paucis locis elici posse videtur etiam malum vel potius malignitatem ad deos referri. Hic non cogitamus de dei fraude, quam rem in capite de dei sanctitate pertractatam habes 2). Sed Mars, qui semper humano generi inimicus videtur, ut apparet ex *Sept.* 226:

τούτῳ γὰρ Ἄρης βόσκεται, φόνῳ βροτῶν,

dicitur *Sept.* 326—327 pietatem violare:

μαινόμενος δ' ἐπιπνεῖ λαοδάμας
μιαίνων εὐσέβειαν Ἄρης.

---

1) Vide p. 24—27.

2) Dei sanctitatem divina malignitate concessa integram evadere nemo contendet, cum haec ipsa sanctitas dei bonitatem postulet, ita ut eius sanctitate concessa etiam eius bonitas concedatur.

Neminem tamen ita delirare sentio, ut contendat hic de vero quodam deo Marte esse sermonem, nam ut fere ubique in Aeschyli tragoediis, sic etiam hoc loco Ἄρης metonymice pro bello dictum est. Cfr. *Agam.* 360—362:

πέφανται δ' ἐγγόνους
ἀτολμήτων Ἄρη
πνεόντων μεῖζον ἢ δικαίως,

et v. 1189—1190:

θύουσαν ᾅδου μητέρ' ἄσπονδον τ' Ἄρη
φίλοις πνέουσαν;

et *Sept.* 52—53:

σιδηρόφρων γὰρ θυμὸς ἀνδρείᾳ φλέγων
ἔπνει, λεόντων ὡς Ἄρη δεδορκότων.

Porro *Pers.* 352 κακὸς δαίμων nominatur, quo nomine nihil nisi deus aliquis maleficus significari posse videtur. Sunt tamen verba nuntii, qui suspicatur deum aliquem hanc calamitatem effecisse, ita ut dicere deberet κακῶς ποιῶν δαίμων, sed hoc κακῶς ποιῶν breviter exprimit verbo quod est κακός. Ipsa Atossa hoc κακὸς δαίμων recte interpretatur v. 470, exclamans ὦ στυγνὲ δαῖμον. Nimium saltem dicit, qui contendit homines gentiles tanta pietate deique religione imbutos esse posse, ut in mediis miseriis b o n e d e u s exclament!

Iuppiter tamen videri possit non semper hominibus propitius fuisse, nam fuit tempus, cum totum humanum genus delere vellet, quod solus Prometheus prohibuit. Hoc saltem Prometheus dicit! 1) Sed I° Iuppiter „πᾶν ἔπος τελεῖ (*Prom.* 1032, cfr. *Suppl.* 578: πάρεστι δ' ἔργον ὡς ἔπος et *Agam.* 1449: τί γὰρ βροτοῖς ἄνευ Διὸς τελεῖται;), nec Prometheus Iovis voluntati obsistere poterat, nam ab ipsis Iovis ministris (Vulcanum dico et Κράτος et Βίαν) ad rupem affigitur. Ergo Zeus humanum genus delere noluit. Fecisset enim, si voluisset. II° Si Iuppiter homines

1) Cfr. p. 25 et annot. III eiusdem paginae.

revera delere voluisse, non homines sed bruta animalia humana forma praedita perdidisset, quod ipse Prometheus affirmat *Prom.* 449—452:

> οἳ πρῶτα μὲν βλέποντες ἔβλεπον μάτην,
> κλύοντες οὐκ ἤκουον, ἀλλ' ὀνειράτων
> ἀλίγκιοι μορφαῖσι τὸν μακρὸν βίον
> ἔφυρον εἰκῇ πάντα. 1)

III° Omnia beneficia, quae Prometheus dicit se humano generi largitum esse, revera ab Iove profecta sunt, nam Prometheus nihil facere potuisset, si Iuppiter eum prohibere voluisset. — Haec de dei Aeschylei bonitate sufficiant.

---

1) Cfr. v. 458—459: ἀλλ' ἄτερ γνώμης τὸ πᾶν ἔπρασσον.

EPILOGUS.

Iam habes imaginem dei Aeschylei, quae licet non omnibus partibus sit absoluta atque completa — neque enim talem imaginem poëta mente concepit, nec conatus est describere — tamen iam certam quandam nobis praebet speciem, ut simulacrum alicuius sculptoris, quam elaborare iam coepit, cui tamen extrema manus non accessit. Hic deus, si minus verbis, re tamen unus est 1) atque persona, ut homines, sui conscius 2), nec tamen necessario cum corpore coniunctus 3).

Hic deus autem videtur non ab aeterno fuisse, sed certo quodam puncto temporis exstitisse, quamquam demonstravimus Aeschylum interdum aeternitatem et *αὐτουσίαν* suo deo vindicare conatum esse 4). Vidimus etiam hunc deum, ubi primum rex deorum factus esset, neque fato neque alio quo divino numine inferiorem esse, sed fatum contra ab eo regi nec quicquam fieri, quin huic summo deo tribueretur 5).

Hunc autem summum deum Aeschylus summa potentia 6), scientia ac sapientia 7), iustitia 8), bonitate 9) adornatum

1) Pag. 15—33.
2) Pag. 83—88.
3) Pag. 88—94.
4) Pag. 100—103.
5) Pag. 34—61.
6) Pag. 106—111.
7) Pag. 112—116.
8) Pag. 117—147.
9) Pag. 148—152.

esse agnovit, itaque apud Aeschylum deus nobis occurrit, qui multis partibus cum uno vero Deo comparari possit. Quod autem poëta hunc deum gubernatorem mundi atque humani generis esse statuit, permagni est momenti, nam sic fieri non potuit, quin Aeschylus praeclarus existeret magister et educator omnium eorum, qui eius tragoedias noscebant atque amabant. Et quo modo Aeschylus suum populum educavit! Docebat enim omnes homines peccare, nisi iis poena aut metus ante oculos poneretur 1). Huius autem metus semper deus est auctor, nam deus ipse punit improbos usque in ipso Tartaro 2), et si homines puniendi potestatem habent, eam habent a deo. Quin etiam omnis hominum potestas, ius, auctoritas, ut potestas regia 3), iudiciaria 4), patria 5) ab deo iis data est, ita ut homines, si contra hanc humanam potestatem peccant, ipsum deum aversentur inque impiorum numero habendi sint 6). Quam vehementer autem deus impietati irascitur! 7) Quam ob rem impii homines stultissimi sunt habendi, ii autem, quibus pietas erga deum cordi est, vere sapientes sunt 8). Quodsi cui quid feliciter successit, aut si morbo aliisve periculis ereptus est, si praeclarum facinus praestitit, non ex sua prosperitate aut virtute magnos sibi spiritus sumere debet, sed humili ac summisso animo deo dare gloriam 9).

Hoc autem in deum animo homines esse debent, quia omnis vis, aut virtus, aut facultas, aut prosperitas a deo proficiscitur, qui, ubi primum vult, homines his rebus

---

1) Pag. 115.
2) Pag. 134.
3) Pag. 26.
4) Pag. 82.
5) Pag. 122.
6) Pag. 121—122.
7) Pag. 126.
8) *Agam.* 161—168 (p. 115) et pag. 132—133.
9) Sic. e. gr. *Sept.* 1050—1060 chorus putat suam urbem Eteocli quidem salutem debere, sed μετὰ μάκαρας καὶ Διὸς ἰσχύν.

privare potest. Nam vita humana tota in dei potestate posita est, 1) haec autem vita, quamdiu conceditur, nihil est nisi umbra fumi, semper et undique periculis atque morti obnoxia 2).

Iam operae pretium esset investigare, unde Aeschylus tam rectam, quamvis deminutam ac mutilatam de deo scientiam hauserit (de qua re pauca in Prooemio 3) praemonuimus). Nam licet Aeschylus natura maxime religiosa praeditus esset atque hanc ipsam ob rem inter omnes Graecos excellere deberet, tamen tenendum est, quod iam p. 3 prooemii attuli, Aeschylum in rebus divinis non *μονόφρονα* fuisse, sed eius aetate plures summa erga deos pietate imbutos fuisse (ut ex poëtis Pindarus, Heraclitus inter philosophos). Quod quamquam magnam partem gravibus illis temporibus, quibus Aeschylus vixit, tribuendum erit (vide pag. 2), tamen ad hanc Aeschyli aliorumque id temporis pietatem intellegendam scripta eorum, qui ab Homero usque ad Aeschylum fuerunt, sine dubio multum afferent. Sed haec alteram disputationem flagitant, mihi in hoc opusculo iis supersedendum fuit. Quod denique in viro tam religiosi ingenii, qui tam gravibus vixit temporibus, unius veri Dei cognitio nihilominus valde inops atque corrupta est, haec res minime mira videri debet, nam Christus dixit 4): *Ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή· οὐδεὶς ἔρχεται πρὸς τὸν πατέρα, εἰ μὴ δι' ἐμοῦ.*

1) Pag. 116.
2) Pag. 142.
3) Pag. 7—14.
4) Euang. Joh. XIV, 6.

THESES.

I.

Aeschylum in *Psychostasia* fatum supra Iovem posuisse non necessario credendum est.

II.

Aeschylus *τὸν θεοῦ φθόνον* non intellegit vulgari sensu.

III.

Parum recte Chantepie de la Saussaye scripsit *Religionsgeschichte* II, 174: »Es ist ganz verfehlt, wenn man die objective Macht der göttlichen Strafe, die Erinys, verflüchtigt zu einer Personification des strafenden Gewissens, eine moderne, freilich schon euripideische Auffassung die *dem Aeschyl ganz fremd ist.*”

IV.

Perperam nonnulli Prometheo Aeschyleo generosam naturam attribuunt. Hic deus enim potius cum Satana, quam cum Christo (ut e. gr. W. Christ, *Griech. Litteraturgesch.* II^{te} Aufl. p. 184 facit) comparandus est.

V.

Aeschylus fere idem credidit, quod docent Sacri Libri (e. gr. *ad Rom.* IX, 18: *ἄρα οὖν ὃν θέλει, ἐλεεῖ· ὃν δὲ θέλει, σκληρύνει*) et id quidem salva divina iustitia; id, quod Herwig, Platner, alii negant.

VI.

W. Christ, *Griech. Litteraturgesch.*. p. 179 a vero aberravit, dicens „Der strenge Aristokrat (Aeschylus scil) und Anhänger der alten Ordnung, war ohnehin verstimmt durch das Umsichgreifen der Demokratie und der sophistischen Aufklärung, *die ihm die grollende Klage über die neuen Götter und Tyrannen in Prometheus und in den Eumeniden entlockte.*"

VII.

Apud Aeschylum chorus non ubique poëtae mentem exprimit, ut Herwig et alii aiunt.

VIII.

Choëph. 1049 tradita lectio *μὴ φοβοῦ νικῶν πολύ* tuenda est contra Porson et Wecklein.

VIIII.

Eum. 833—834:

καίτοι μὲν σὺ κάρτ᾽ ἐμοῦ σοφωτέρα,
φρονεῖν δὲ κἀμοὶ Ζεὺς ἔδωκεν οὐ κακῶς

in voce quae est *σοφωτέρα* Wecklein, alii vitium latere perperam putant; v. 834 lege *εἰ σύ*, non *εἶ σύ*, ut Abresch et Wecklein.

X.

Suppl. 323 legitur:

τίς δ᾽ ἂν φίλους ὤνοιτο τοὺς κεκτημένους;

lege *οἴοιτο*.

XI.

Soph. *Ant.* 2—3:

ἆρ᾽ οἶσθ᾽ ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ᾽ Οἰδίπου κακῶν
ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ;

nihil mutandum est, si *ὅτι*, non *ὅ,τι* legitur.

XII.

Speijer, Observationes et emendationes, Gron. 1891, pag. 16 minus recte Horat. *Sat.* I, 5, 11 *tum* mutat in *cum*.

XIII.

Horat. *Epist.* I, 18, 24 *paupertatis pudor et fuga* legendum est, non, ut Speijer putat op. l. p. 49, *paupertatis pudor angit.*

XIIII.

Cic. *in Verrem* II, 56: „*Te autem praetore quis censor aut legem metueret, qua non tenebatur, quoniam creatus lege non erat, aut animadversionem tuam, cum* (Speijer: *qui*) *id, quod abs te emerat, vendidisset*" Speijer optimam sententiam vertit in pessimam, quippe qui legat *vendidisses* (op. l. p. 73).

XV.

Tac. *Hist.* II, 40: „*Non ut ad pugnam sed ad bellandum profecti confluentes Padi et Aduae fluminum sedecim inde milium spatio distantes petebant*" Heraeus recte *inde* ad castra, *distantes* ad *confluentes* refert; Prammer autem errat, qui putet *inde* ad *confluentes*, *distantes* ad sententiae subiectum spectare.

XVI.

A. Pierson, *Hellas* I, 313 is met de waarheid en zich zelf in strijd, als hij zegt: „Wij kennen de noodwendigheid die tegenover onze zedelijke vrijheid staat, slechts in twee vormen: òf als een bovennatuurlijke, òf als een zielkundige; òf als de voorbeschikking van een God, naast wiens overweldigende werkzaamheid de onze terstond alle beteekenis verliest; òf als een mechanisme van hartstochten welker slachtoffer wij zijn. Aangezien alle letterkunde den mensch teekent, is met dien eersten vorm der noodwendigheid

geene, met den tweede alleen een fatalistische letterkunde mogelijk; dat is, eene die weldra ophoudt ons belang in te boezemen". Aan het begin toch van die zelfde bladzijde kent hij nog een derden vorm, en dat wel eenen, die de eenig ware is.

XVII.

A. Pierson, *Hellas,* Afd. IV, p. 9 schrijft ten onrechte: „Uit zijn (Xenophanes') mond wordt voor het eerst in Europa de juichtoon van het Pantheïsme gehoord, die niet weer verstommen zal, zoo vaak men wijsbegeerte en Godsdienst poogt te vereenigen".

XVIII.

Tegenover deze bewering van Max Müller, *The science of language,* London 1864, p. 339: „The problem of the common origine of languages has no necessary connection with the problem of the common origin of mankind" heeft Speijer gelijk, als hij zegt (*De waarde van het Sanskriet voor de wetenschap van de taal,* Amst. 1888, p. 25): „Zij (de taalstudie) legt de wegen bloot, die volk bij volk en ras bij ras verbinden en toont aan dat de menschheid één groot gezin is".

XVIIII.

Ranke's stelling, Weltgeschichte I, 1, 40: ihm (dem Geschichtsforscher) liegt es ob die Ereignisse aus menschlichen Motiven zu erklären" is onjuist.

XX.

Ten onrechte beweert H. von Helmholtz, *Vorträge und Reden,* II, p. 7, dat „verstandbegabte Wesen von nur zwei Dimensionen" geen logische onmogelijkheid zijn.